CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
D
8.
BIBL. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
D
8
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ET DECRETA
SYNODI DIOECESANAE
PISTORIENSIS

an. MDCCLXXXVI.

PARS II.

COMPLECTENS

APPENDICEM MONUMENTORUM

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. III
NAPOLI

TICINI
Sumptibus Balthassaris Comini

Censoribus rei litterariae probantibus.
anno MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

APPENDIX
SYNODI DIOECESANAE
PISTORIENSIS
HABITAE ANNO 1786.

N. I.

Edictum de Extravaganti: Ambitiosae.

Illustrissimus D. Auditor Regii iuris Secretarius hoc Regium Edictum, Magno iubente Duce, mandat publice proponendum.

Cum Regia Celsitudo intelligat ex suprema suimet ipsius voluntate pendere ius constituendi solemnitates necessario servandas, ut rati sint quicumque contractus in eius ditione celebrantur; eas vero solemnitates quae in pervulgata iam apud omnes Extravaganti: *Ambitiosae*, praescriptae sunt, ut in contrahendis Ecclesiae bonis iustitiae et utilitati cautum esset, nihil amplius esse quam meras formulas, privatam utilitatem unice spectare, commercii libertati impedimento esse, et inanibus Subditos exhaurire sumptibus; denique per mandata Non. Mart. An. 1773. VII., Id. Octob. An. 1779. et postridie Id. Iun. An. 1783. edita, in huiusmodi contractibus ineundis iustitiae et utilitati aeque fuisse consultum ac fieri per Magistratus solet in contractibus Impuberum et Pupillorum, ita ut nihil detrimenti inde capiant Ecclesiae, et alia pia loca, quorum Regia Celsitudo eam rationem habet, ut sui praecipue muneris esse putet eorum praebere se patronum ac vindicem; cumque sua certissime perfici ab omnibus mandata velit, haec praeterea edicit atque imperat;

I. Ut deinceps in contrahendis Ecclesiarum piorumque locorum bonis, circa quae memorata saepius mandata versantur, nullae aliae admittantur probenturque solemnitates, quam quae civili et municipali iure praescribuntur, nec formula ulla, qua quis vel expresse, vel tacite, vel aequipollentibus verbis ad memoratam Extravagantem appellare posset; aliter contractus esto irritus; Scribae vero, qui eidem contractui subscripserint, praeter centum scutatorum, mulctam subscriptionis auctoritatem amittunto.

II. Quod si contractus Apostolico, ut aiunt, beneplacito, et quavis alia constituta per canones solemnitate careant, id neque ullam civilem actionem dare poterit, neque proferri, ne in rebus quidem ad hanc usque diem contractis, in quibus cautionis et securitatis ergo illud defuisse credendum est, nullo definito temporis spatio.

III. Haec vero mandata illas etiam causas spectabunt, quae nunc aguntur, haud vero illas, quae iam fuerint iudicatae, quasque huiusce mandati praetextu iterum non licebit cognoscere.

IV. Ita abrogatâ penitus Extravaganti: *Ambitiosae*, adeo ut in Magni Ducis ditione eam servare amplius non liceat, eademque nullius roboris nulliusque auctoritatis existat, in quovis collegio locove, eam deinceps uti validam et obligationis vim extra Ecclesiasticae ditionis fines inducentem, tam publice quam privatim exponi tradique Regia Celsitudo vetat, impositâ in violatores huius legis poenâ, ne publice amplius docere possint.

V. Regiam vero indignationem, nec non ab universa Magni Ducis ditione exilium, bonorum ut aiunt *sequestrationem*, aliasque poenas ad arbitrium pro culpae gravitate imponendas Clerici incurrent in qualibet dignitate constituti, qui contra quidpiam attentare audeant.

VI. Quisquis autem Iudex vel Minister tam Laicus quam Clericus hanc legem directe vel indirecte violabit vel ad eam violandam opera consiliove alios impulerit, a suo munere perpetuo excidat, et ad quodlibet publicum exercendum officium habeatur inhabilis, centumque scutatorum mulctam subeat; quam mulctam Advocati etiam et Procuratores incurrent, neque amplius Advocati aut Procuratoris munus obire poterunt.

VII. Huius vero mulctatitiae pecuniae dimidium publici vel privati accusatoris esto; reliqua in ditione quidem Florentina

Sanctae

Sanctae Mariae Novae Nosocomio, in Senensi vero ditione Nosocomio, quod dicitur *della Scala*, addicatur.

VIII. Singulae vero huiusmodi violationes Florentiae quidem apud supremum Iustitiae Tribunal; in reliquis vero Magni Ducatus Civitatibus aut Locis apud Iudices et in iis Tribunalibus cognoscentur, quibus criminalis iurisdictio est. Eorum tamen sit rem ad Regii iuris Secretarium referre.

Haec Regiae Celsitudinis voluntas est, cui inviolate omnes parere iubet, contrariis quibuscumque mandatis et consuetudinibus derogans. Ut vero haec rite accurateque serventur ab omnibus, Regii iuris Secretarius curet diligentissime.

Dat. quinto Kalendas Septembris Anno Millesimo septingentesimo octuagesimo quarto.

PETRUS LEOPOLDUS

V. ALBERTI.

C. BONSI.

Vincentius Scrilli primus Cancell.

N. II.

Epistola Secretarii Regii iuris de duplici conficiendo Baptizatorum libro etc.

Cum Regia Celsitudo acceperit adeo libros illos negligi, in quos Baptizatorum, Nubentium, Mortuorumque nomina referuntur, ut in nonnullis Paroeciis manci sint prorsus atque huc illuc dispersi;

Rei volens consulere, quae adeo commune Familiarum bonum et rectum Societatis attingit ordinem, per Literas a Regio Secret. postrid. Id. huiusce Mensis datas Archiepiscopos et Episcopos admoneri iussit, ut subiectos sibi Parochos ad conficiendum accurate duplex eorum Album adigant, cuius alterum exemplum sit de more apud illos, alterum quotannis sua subscriptione firmatum ad suas quisque Ecclesiasticas Curias mittant, in earum Tabulario asservandum.

 Cum

Cum vero eidem Regiae Celsitudini maxime curae sit, ut huiusmodi ratio diligenter retineatur, praecipit, ut singulis exactis annis Ecclesiasticarum Curiarum, quae in Florentina ditione sunt, Scribae ad Operam S. Mariae, quae dicitur *del Fiore*, ditionis vero Senensis Scribae ad illam Senensem Curiam, quae *Balia* dicitur, testimonium mittant quo ab omnibus illius Dioecesis Parochis duplex memorati Albi exemplum se accepisse et in Episcopali Tabulario reposuisse confirment.

Quod vero pertinet ad Sedes Episcopales extra Etruriae ditionem positas, quarum tamen Dioecesis partim in eiusdem ditionis finibus continetur, duplex illud Albi exemplum, uti ante dictum est, Parochi ad Vicarios Foraneos mittant, qui Florentiae quidem Operae S. Mariae quae dicitur *del Fiore*, Senis vero memoratae Curiae, quae *Balia* vocatur, significabunt, se a subiectis sibi Parochis duplex illud Albi exemplum accepisse, et eodem volumine inclusum atque colligatum in publico Loci in quo resident Tabulario reposuisse.

Sed Regia Celsitudo declarat, nihil hac Constitutione debere intelligi innovatum ex iis, quae Florentiae, Senis, aut alibi de baptizatorum Albo, deque eius in aliquod publicum officium translatione antea praescripta fuerint, et id integrum omnino manere, quod nuper de Necrologiis Florentiae constitutum est.

De his omnibus certiorem te facio, ut ea inire consilia velis, quae Regiae Celsitudinis menti sint consona. Expectans interim, ut mihi has te literas accepisse significes; perquam reverenter confirmare me posse glorior.

Tui, Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,
Florentiae etc.

ex Regii iuris Secretar.
Prid. Kal. Mart. 1781.

Ad Pistoriensem et Pratensem Episcopum

Addictissimum obsequentissimumque Servum,
Stephanus Bertolini

Google

N. III.

Episcopi Litterae ad omnes Vicarios Foraneos de Natalium testimoniis etc.

Nonnullas aliquot ab hinc mensibus per hunc Pistoriensis Civitatis Scribam in complures Parochos querelas accepi, quod in describendis puellis postulantibus dotes, constitutas in fundis ad Regiam Ecclesiastici Patrimonii Administrationem translatis, cum sui Natalis testimonium exhibendum eisdem sit, nummum pro quovis testimonio exigerent. Ex quo factum est, ut pauperiores puellae necessaria testimonia ad Cancellariam non potuerint exhibere.

Ut igitur turpissima huiusmodi querelarum causa tollatur, tuum erit singulos monere tui Vicariatus Parochos, ut gratuito et misericordiae in pauperes exercendae gratia huiusmodi facere testimonia velint, iisdemque significes, quod si forte aliae ad meas aures querimoniae pervenerint, huiusmodi incommodo non sine peccantium dedecore occurrere mei officii esse ducam. Neque alienum a re erit, ut populum moneas nihil amplius solvendum Parochis pro huiusmodi testimoniis. Ut meas has redditas tibi fuisse literas certiorem me facias, interim expecto tuique me reverenter esse profiteor

Pistorii IV. Id. Iul. 1784.

Servum fratremque amantiſsimum
Scipio Pistoriensis et Pratensis Episc.

N. IV.

Decretum de Supplicatione sive Processione, quae in solemnitate Corporis Christi haberi solet.

Nos Scipio de Ricciis divina miseratione Pistoriensis et

Pratensis Episcopus, cum certam constituere velimus rationem in Supplicatione, quae Festo Corporis Christi die habetur, perpetuo deinceps servandam, adhibitis in consilium octo Urbis Parochis, iisque adsentientibus, mandamus, ut eadem Supplicatio ita in octo Urbis Paroeciis habeatur.

Mane ipso festo Corporis Christi die, dato per Ecclesiam Cathedralem signo, statim procedere incipiet Paroecia illa, cuius Rector habita temporis ratione est omnium novissimus. Hinc ex praesenti rerum statu prima procedet Spiritus S. Paroecia, deinde S. Bartholomaei, B. V. M. sub Humilitatis titulo, S. Vitalis, S. Ioannis, S. Pauli, S. Andreae, Cathedralis demum Ecclesia.

Haec autem ratio, hic ordo servabitur. Praeibit primae Paroeciae crux cum duobus Clericis Candelabra gerentibus. Laici sequentur Regularium Ordinum, qui Paroeciae finibus continentur; hinc Sodalitii Charitatis Fratres propria tecti tunica; deinde Regularis et Saecularis eiusdem Paroeciae Clerus simplici indutus superpelliceo; Parochus denique et Coadiutores sive Capellani, suis quisque insignibus ornati.

Eademque ratione atque ordine omnibus Octavae diebus fiet post meridiem in singulis Paroeciis Supplicatio, nimirum Feria VI. in Ecclesia S. Andreae, die Sabbati in Ecclesia S. Vitalis, die Dominico in Ecclesia S. Ioannis, Feria II. in Ecclesia S. Pauli, Feria III. in Ecclesia Spiritus S., Feria IV. in Ecclesia S. Bartholomaei, demum Feria V. in Ecclesia S. Mariae Virginis sub Humilitatis titulo.

Quo vero die in singulis Paroeciis Supplicatio habebitur, cantabitur solemniter Missa et publice adorandum exponetur SS. Eucharistiae Sacramentum, donec per illud benedicatur populo. Ea autem diei hora fiet Supplicationis initium, ut cum Solis occasu sacra res omnino conficiatur.

Quamdiu Sacramentum erit expositum, nonnulli Paroeciae Sacerdotes et ipsius Sacramenti custodes ante ipsum orantes adsint ex ordine per Parochum constituendo.

In principe Urbis templo haud plures quam triginta, in aliarum vero Paroeciarum Ecclesiis haud plures quam viginti quatuor candelae ad Aram accensae ardeant.

Qua die in singulis Paroeciis Octavae Supplicatio fiet, Ecclesiasticum Patrimonium viginti quatuor cereas faces praebebit per Sacramenti custodes ferendas et parem Regularibus et Saecularibus Sacerdotibus Candelarum numerum, nisi

nisi Paroeciae ut dicitur *Opera* possit huiusmodi sumptus suppeditare.

Dat. Pistorii ab Episcopalibus Aedibus XIV. Kal. Iun. 1785.

Scipio Pistoriensis et Pratensis Episcopus
Ioannes Peraccini Gener. Episc. Cancell.

N. V.

Eiusdem ad omnes Dioecesis Parochos Litterae de Christi Corporis solemnitate.

Praecipua in Festum Christi Corporis diem instituta solemnitas, qua publice in Templis exponitur piisque supplicationibus velut triumpho per vias circumfertur Eucharistiae Sacramentum, iure quidem ac merito a venerabilibus Tridentinae Synodi Patribus commendatur, ita ut meo deessem officio, si universos omitterem monere hortarique Parochos, ut in ea celebranda par ministerio illi ad quod vocati sunt studium diligentiamque demonstrent. Cum autem nihil magis ad veram assequendam concipiendamque Ecclesiae mentem Fideles adiuvet quam simplex ac rectus sacras res peragendi modus, meum esse propterea arbitror nonnullas praescribere regulas in singulis Dioeceseos Ecclesiis servandas et iis consonas, quae iam probantibus universis, qui in spiritu et veritate Deum adorare cupiunt, sunt instituta.

Primo itaque tum in ipsa Corporis Christi solemnitate, tum die Dominico qui in Octavam incidit, de divino huiusmodi Sacramento habebitur opportune sermo ad Fideles hortandos, ut demisso animo, ardentissimoque incensi caritatis igne sacris semper adsint mysteriis. Propositus vero in usum Dioecesis Cathechismus, et Suessionensis Episcopi sermones, qui iam Parochis omnibus in promptu sunt, uberrimam possunt de hac re dicendi materiem suppeditare.

2. Toto autem eiusdem Octavae tempore Sacramentum publice exponere theca illa inclusum, quae vulgo dicitur Ostensorium, Supplicationemque habere licebit Parochis. Accensae ad Aram cereae faces haud plures sunto quam viginti.

3. Cumque ex ingenti agrestium populorum ad Ecclesiam concursu gravissima plerumque oriantur incommoda, quilibet Parochus ipso etiam Corporis Christi die Evangelium exponet, Christianam doctrinam tradet, aliaque omnia praescripta ratione peraget in sua Parochiali Ecclesia Religionis officia.

4. Quod si adeo sint Paroeciae proximae, ut Parochi sine sui populi detrimento mutuam in hac Supplicatione solemni sibi operam praestare possint, re prius cum Vicario Foraneo communicata facere id opportune poterunt.

5. Unum Caritatis sodalitium illius Paroeciae, in qua res sacra peragitur, Supplicationi cum reliquo populo intererit.

Spero interim sedulam te daturum operam ut quaecumque in maius populorum bonum praescripsi, fuisse ea perfecta non sine ingenti animi mei solatio intelligam. Ut vero pro me Deum exores, vehementer rogo, tuique me reverenter esse profiteor

Pistorii etc.

XIV. Kal. Iun. 1785.

Servum fratremque amantissimum,
Scipio Pistoriensis et Pratensis Episc.

N. VI.

Praescripta in singulis Urbis et Dioecesеos Paroeciis, dum sacrae res peraguntur, servanda.

I. Quovis anni tempore dimidia ante solis ortum hora Templi fores patebunt, et prima celebrabitur Missa, quam fervidae praecedent sequenturque precationes una cum Sacerdote a populo faciendae, quemadmodum in eo libello praescribitur, cui titulus: *Brevi preghiere ad uso delle Parrocchie delle Città e Diocesi di Pistoja e Prato*.

2. Diebus festis integre vi praecepti servandis mane hora nona datis per sacra aera signis ad Parochialem Missam advocabitur populus, quae Missa post signa statim hora nona et dimidia inchoabitur. In ea Parochus festos dies, pervigilia, Matrimonia etc. vulgabit, Evangelium exponet, eas con-

consecrabit Particulas, quae satis sint, ut populus una cum eo sanctissimum sumat Christi corpus.

3. Aliae aliis horis Missae, nec quovis die plures simul celebrabuntur. Quantum vero fieri poterit, Particulis in eadem Missa consecratis administrabitur Eucharistiae Sacramentum; quod facilius etiam fiet, si idem Missae dumtaxat tempore administretur, nisi aliter fieri (quod raro admodum continget) vera necessitas postulabit.

4. Diebus festis mane hora undecima dabitur signum, quo reliqui e populo, qui solemni Parochiali Missae adesse nequaquam potuerint, moneantur, ut ad sacrum audiendum accedant, quod eadem hora una cum praescriptis precibus celebrabitur.

5. Quovis anni tempore, dato per Cathedralem Ecclesiam primo vespertinae precationis signo, Christianae doctrinae rudimenta pueri edoceri incipient; quod sacro Paroeciae aere antea significabitur.

6. Dum vero haec habetur puerorum institutio, reliqua vespertinae precationis dabuntur signa, quae in omnibus Ecclesiis eodem tempore, atque in principe Urbis Templo, inchoabitur.

7. Absolutis Vesperis, Parochus vel Coadiutorum aliquis sermonem habebit ad populum, Christianae fidei dogmata eo quo in Dioecesis Catechismo digesta sunt ordine accurate, dilucide, decenter, graviterque exponens.

8. Deinde ad impetrandam Dei opem qua fideles eius verbum in corde optime custodire possint ita ut sanctissimarum edat virtutum fructus, dum gloriae magni Dei adventum patienter expectamus, aperto Tabernaculo inclusum Pyxide sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponetur, atque interim canetur hymnus: *Pange lingua* etc.; dicentur deinde Sanctorum Litaniae una cum consuetis precationibus, post quas reliquus canetur hymnus: *Tantum ergo* etc. et benedicetur populo.

9. Huiusmodi autem ordo inviolate servabitur, neque cuiusvis, quae in eos dies incidat, solemnitatis causa poterit immutari. Haec namque recta est ex Christianae Religionis natura atque indole Domini solemnia celebrandi, nec non Beatissimae Virginis, aliorumque Sanctorum memoriam colendi ratio.

10. Monebunt populum Parochi, quibus eum signis advocare velint, ut sanctissimum Sacramentum ad infirmos deferendum comitatum accedant, vita functos ad Ecclesiam

ef-

efferant, aegrotos pauperes ad Nosocomium adsportent, aliaque exerceant caritatis officia.

11. Nulla sacra res ultra quartam et vicesimam diei horam producitor; tunc enim claudenda sunt omnino Templa.

N. VII.

Litaniae Iesu in SS. Sacramenti adoratione dicendae, et quae in Synodo extant Italice redditae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de Caelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor Mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
O Iesu Fili Dei. miserere etc.
O Iesu splendor Patris. miserere etc.
Iesu Verbum caro factum, miserere etc.
O Iesu gloriae Rex. miserere etc.
O Iesu sol Iustitiae. miserere etc.
Iesu Mariae fili. miserere etc.
Iesu Deus admirabilis. miserere etc.
Iesu dilecte noster. miserere etc.
Iesu, Deus sanctus, fortis. miserere etc.
Pater aeternae vitae. miserere etc.
Magni consilii Angele. miserere etc.
Iesu Deus omnipotens. miserere etc.
Iesu patiens et humilis. miserere etc.
O Iesu obedientissime. miserere etc.
O Iesu princeps pacis. miserere etc.
O Iesu auctor vitae. miserere etc.
Iesu animarum sponse. miserere etc.
Iesu Rex noster Deus. miserere etc.
Iesu refugium nostrum. miserere etc.
Iesu infinita bonitas. miserere etc.
O Iesu pater pauperum. miserere etc.

O Iesu noster pastor. miserere etc.
Iesu sapientia aeterna. miserere etc.
Iesu via et vita nostra. miserere etc.
Iesu spes una nostri. miserere etc.
Iesu Angelorum gaudium. miserere etc.
Magister Apostolorum. miserere etc.
Doctor Evangelistarum. miserere etc.
O Iesu, robur martyrum. miserere etc.
Iesu Sanctorum praemium. miserere etc.
Ab omni malo. Libera nos Domine
Ab omni peccato. Libera etc.
Ab ira tua. Libera etc.
A subitanea et improvisa morte. Libera etc.
Ab insidiis Diaboli. Libera etc.
Ab ira et odio et omni mala voluntate. Libera etc.
A spiritu fornicationis. Libera etc.
A fulgure et tempestate. Libera etc.
A flagello terraemotus. Libera etc.
A morte perpetua. Libera etc.
Per mysterium Sanctae Incarnationis tuae. Libera etc.
Per Adventum tuum. Libera etc.
Per Nativitatem tuam. Libera etc.
Per Baptismum et sanctum ieiunium tuum. Libera etc.
Per Crucem et Passionem tuam. Libera etc.
Per mortem et sepulturam tuam. Libera etc.
Per sanctam Resurrectionem tuam. Libera etc.
Per admirabilem Adscensionem tuam. Libera etc.
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti. Libera etc.
In die iudicii. Libera etc.
Peccatores. Te rogamus, audi nos
Ut nobis parcas, te rogamus etc.
Ut nobis indulgeas. te rogamus etc.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris. te rogamus etc.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris. te rogamus etc.
Ut Dominum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris. te rogamus etc.
Ut Antistitem nostrum et omnes Congregationes illi commissas in tuo sancto obsequio conservare digneris. te rogamus etc.

Ut Magnum Ducem nostrum custodire digneris. te rogamus etc.
Ut inimicos Sanctae Ecclesiae humiliare digneris. te rogamus etc.
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris. te rogamus etc.
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris. te rogamus etc.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris. te rogamus etc.
Ut mentes nostras ad caelestia desideria erigas. te rogamus etc.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas. te rogamus etc.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias. te rogamus etc.
Ut fructus terrae dare et conservare digneris. te rogamus etc.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris. te rogamus etc.
Ut nos exaudire digneris. te rogamus etc.
Fili Dei. te rogamus etc.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster, *elata voce*.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

PSALMUS LXIX.

Qui Psalmus fervens animi ad Deum precatio est, cum a suis spiritualibus hostibus urgetur.

Deus in adiutorium meum intende † Domine ad adiuvandum me festina.
Confundantur et revereantur † qui quaerunt animam meam.
Avertantur retrorsum et erubescant † qui volunt mihi mala.
Avertantur statim erubescentes † qui dicunt mihi: euge, euge,

Exul-

Exultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te † et dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum † Deus adiuva me.

Adiutor meus et liberator meus es tu, Domine † ne moreris.

Gloria Patri etc.

℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro Pio.
℟. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.
℣. Oremus pro Pastore nostro Scipione.
℟. Da Domine ut in omnibus seipsum praebeat exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.
℣. Oremus pro magno Duce nostro Petro Leopoldo.
℟. Domine salvum fac Magnum Ducem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris.
℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam, Amen.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis.
℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Ad

Ad impetrandam peccatorum veniam.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Pro Summo Pontifice.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro PIO, et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Pro Episcopo.

Deus omnium Fidelium pastor et rector, famulum tuum SCIPIONEM quem Pastorem Ecclesiae Pistoriensi et Pratensi praeesse voluisti, propitius respice: da ei quaesumus, verbo et exemplo quibus praeest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Pro magno Duce.

Quaesumus, Omnipotens Deus, ut famulus tuus PETRUS LEOPOLDUS Magnus Dux noster, qui tua miseratione suscepit Etruriae gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui es via, veritas, et vita, gratiosus valeat pervenire.

Ad pacem impetrandam.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla.

Ad impetrandam castitatem.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Pro fidelibus defunctis.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur.

Ad impetrandam in rebus quibusque gerendis Dei opem.

Actiones nostras quaesumus, Domine, aspirando praevèni, et adiuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Pro omnibus vivis et vita functis fidelibus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse cognoscis, te supplices exoramus, ut prò quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum etc.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.
℟. Amen.
℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

Pan.

Hymnus.

Pange lingua glorioſi
    Corporis myſterium,
    Sanguiniſque pretioſi
    Quem in mundi pretium
    Fructus ventris generoſi
    Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
    Ex intacta Virgine,
    Et in mundo converſatus,
    Sparſo Verbi ſemine,
    Sui moras incolatus
    Miro clauſit ordine.
In ſupremae nocte coenae
    Recumbens cum fratribus
    Obſervata lege plene
    Cibis in legalibus
    Cibum turbae duodenae
    Se dat ſuis manibus.
Verbum caro, panem verum
    Verbo carnem efficit,
    Fitque ſanguinis Chriſti merum;
    Et ſi ſenſus deficit
    Ad firmandum cor ſincerum
    Sola fides ſufficit.
Tantum ergo Sacramentum
    Veneremur cernui,
    Et antiquum documentum
    Novo cedat ritui;
    Praeſtet fides ſupplementum
    Senſuum defectui.
Genitori Genitoque
    Laus et iubilatio
    Salus, honor, virtus quoque
    Sit et benedictio;
    Procedenti ab utroque
    Compar ſit laudatio. Amen.
℣. Panem de Caelo praeſtitiſti eis
℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

ORE-

OREMUS

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus: Qui vivis et regnas etc.

N. VIII.

Pastorales Literae in proponenda Magni Ducis encyclica epistola ad omnes Episcopos, ac Praetores de quaeritandae, et emendicandae stipis consuetudine; tum in exhibenda Parochis Archiepiscopi Salisburgensis Institutione.

Summa omnium ignoratio rerum, animique pravitas, atque perversitas universum, carissimi Fratres, terrarum orbem invasit. Quae quidem mala cum ex inflicto nobis per originis noxam vulnere profecta sint, eodem quoque aluntur, atque augentur in dies. Hinc factum est, ut incredulitas, et vana quaedam Religionis species ex eodem fonte manans, et in Sadducaeorum, ac Pharisaeorum disciplinis, veteri iam ad exitum properante Foedere, electam Hebraeorum gentem corrumpentibus praemonstrata, altissimas ubique ferme gentium radices egerit; ac nisi aeterna veritas confirmaret, deficere non posse Ecclesiam, ac nullo non tempore futurum fidelem populum, sanctitate praestantem, ac longe lateque per orbem diffusum, vererer quidem maxime, ne ubi summi aliquando nunciabitur adventus Iudicis, nullus ferme futurus sit vir bonus, ac fidelis in terris, (Luc. 18. 8.) *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Id quam merito pertimescam, unusquisque vestrum, carissimi Fratres, ultro fatebitur, si serio atque attente considerare vobis lubeat eorum temporum calamitatem, ad quae sumus divinitus reservati. Idem ille Deus O. M., qui ad consummandum praecellens electorum opus sapientissime universa disponit ac moderatur, altissimo, nobisque haud investigando suae Providentiae consilio impiissima Sadducaeorum instituta, erroresque in templum ipsum irrepere passus est. Vos quidem non latet, atque id-

idcirco gravissimum supersedeo commemorare discrimen, quo impendente omnipotens Dei virtus validissimam Religiosissimi doctissimique Principis armavit, atque excitavit manum, ut Ecclesiae ferret opem, et adversus teterrimas filiorum Babylonis calumnias fraudesque Pastorem erigeret, et confirmaret. Uberrimis potius lacrimis gemitibusque confugiamus ad Dominum, concordibusque animis, dum spes aliqua superest, ei vim, ut ita dicam, nostris precibus inferamus, ut demum Ecclesiam voti compotem faciat, eos ab errorum vitiorumque tramite revocans, quibus Divinus eius Filius sui effusione sanguinis tantum promeruit beneficium.

Neque tamen unum hoc, Fratres carissimi, lugendum nobis in Ecclesia malum. Is enim, in quo fidei lumen nondum penitus extinctum sit, persuasum habet, Deum sibi necessario colendum, eique in omnibus obtemperandum. Sed molestum nimis gravemque depravatae naturae illum spiritualem cultum esse sentit, cuius vi devovetur penitus Deo, ac nil reservare sibi, sed suo se Conditori totum iubetur tradere. Iesu Christi lex ad ineundum adversus veterem hominem certamen instituta intimum simul animi, atque externum cultum praecipit, tum quod, cum animum iuxta, ac corpus acceptum Deo referant homines, aequum est, utrumque Deo esse devotum, rebusque externis ad pietatis opera mentem excitari; tum quod unam eamdemque colentes societatem quaedam oportet habere signa, quibus in unum Religionis nomen universi conveniant, atque ad exhibendum debitum Deo cultum se se mutuo hortentur atque excitent. Homines nequam et flagitiosi, qui vellent Belial consociare cum Christo, externa cultus, ac religionis opera aequo lubentique animo amplectuntur, idque veluti praecipuum suae Religionis caput esse arbitrantes, tutos atque immunes ab iis poenis se credunt, quarum metu hanc retinere coguntur Religionis speciem, quasque declinare nunquam poterit, quisquis Deum *in spiritu et veritate* nequaquam adorat.

Quae duo mala gravissima, ut ab universo populo, quem vehementi amore complector, quemque una vobiscum gubernandum mihi Deus tradidit, quam longissime propulsarem, non habui satis illum superiore anno Religionis cognoscendae necessitatem modumque edocere, sed per illum Christianae doctrinae librum, qui ad huius Dioecesis

usum

usum propositus est, effeci etiam, ut id assequi facillime posset. Quicumque vestrum, Venerabiles Fratres, suum esse duxit meae voluntati meisque consiliis obsequi, ipsa doctus experientia plane potuit intelligere, quantam suo morem gerens Episcopo ei, quam pascit, Dominici gregis parti attulerit utilitatem. Ac dum iterum vobis praecipio, ut libro eodem utamini, ne severissimum Dei subeatis aliquando iudicium, ad cuius tribunal sistere se unusquisque debet eorum omnium rationem redditurus, quae in gravissimo obeundo institutionis munere negligenter gesserit, maximam ex eo capimus consolationem, quod plerique vestrum, et sapientiores quique par suo ministerio studium in hoc adimplendo munere adhibent. Quod si tanta quorumdam caecitas, ac pertinacia est, ut illud negligant, hac spe tamen recreor, atque sustentor, aliorum exemplo, ac monitis excitatos eos diligentiores futuros in posterum, antequam ea de ipsis consilia capiam, ad quae capienda idem me Pastoris munus impellet.

Hoc vero, quod in plerisque vestrum cernitur verae Religionis officia populum edocendi studium, ut magis excitem atque incendam, patiamini, quaeso, ut vestris subiiciam oculis doctam atque elegantem Archiepiscopi Salisburgensis Pastoralem Epistolam, in qua non solum vera Ecclesiae dogmata, atque praecepta explicat, sed quae vel credenda, vel agenda proponit Ecclesia, ab iis mirifice secernit, quae in Ecclesia ab alio quovis ingeruntur. Ipsum non latet, nunquam altius, quam in Pharisaeos, vocem extulisse Christum. „ Eorum namque doctrina, uti eruditus quidam, ac „ Religionis maxime studiosus Galliarum Episcopus sapien„ter animadvertit (*Colbertus epist. VI. ad Senon. Archiep.*) „ id solum spectabat, ut quod externum in Religione „ est, corrigeret ac reformaret. Dei iustitiam penitus igno„rantes humanam studebant constituere. In externo quo„dam cultu acquiescentes nihil de moderando componen„doque ad verae Religionis normam animo fuere solliciti. „ Primo item maximoque Divinae legis praecepto suas ipsi „ doctrinas a maioribus acceptas, atque ab hominibus ex„cogitatas temere subrogabant. Id religiose servantes, „ quod verba legis sonant, eiusdem legis vim ac sensum „ penitus ignorabant. Ut ab huiusmodi doctoribus cave„rent, suos ipse saepius monuit discipulos Christus. Con„tra eorum doctrinas in eo etiam quem in monte habuit,

 „ ser-

„ sermone vocem intenderat. Cum enim iisdem doctrinis „ pietatis simulatores homines fierent, ita discipulos Iesus „ Christus docuit, hypocrisim esse Pharisaeorum fermentum. „ *Cavete a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis.* „ Quod sane fermentum non in quibusdam excusationibus, „ interpretationibus, rationibusque tantum situm erat, qui- „ bus suorum tegerent pravitatem morum, atque ab iis re- „ pellerent culpae notam, sed quibusdam nitebatur princi- „ piis, ac praeceptis, quae graviter, glorioseque tradeban- „ tur, quibus firmissime inhaerebant, quae studiose iacta- „ bant in vulgus, ac vel in sacris literis passim occurrere „ contendebant „. Execranda haec antiquae legis doctorum imago, in quibus et Sadducaei erant, clarissimi huius mei Fratris studium excitavit. Is enim secum animo reputans, qua ratione occurri posset impietati illi, quae nostra etiam aetate turpissime dominatur, in ea, quam vobis exhibemus, epistola aperte oppugnandum evertendumque suscepit illud Pharisaeorum fermentum, quo nihil sane tum ad invehendam, tum ad confirmandam inter homines incredulitatem esse potest accommodatius.

Iure igitur vel ab initio sui sermonis inania illa notat Ecclesiarum ornamenta, atque immodicos apparatus, quos fovens falsum Religionis principium Divini Templi sanctitatem eo ipso polluit, quo Deus coli rectius posset. Aurum enim, argentum, gemmae, rara quaevis, et pretiosa supellex, qua nostra magnifice nitent templa, steriles inanesque res sunt, immo, ut ita dicam, sacrilegae, et Christo Iesu iniuriosae, si nimio atque ambitioso templorum ornatui tantum inserviunt. Cum necessaria non desunt Ecclesiis, nostris laborantibus inopia fratribus succurrere, instituere optime adolescentes, publicis Regni necessitatibus consulere, res longe maximi momenti sunt, ac verae Christianae pietati magis consonae, quam immensus ille Ecclesiarum luxus, qui in celebrandis festis a diversis populis mutuo se ad id provocantibus ostentari certatim solet. Quam utile foret, si magnum illum Ecclesiasticae disciplinae instauratorem Carolum sequuti ad modicum numerum redigeremus faces, quae in exponendo solemniter Eucharistiae Sacramento ardere debeant, et pauperum subsidio, aliisque caritatis officiis, uti sanctissimus ille Archiepiscopus praecipit, erogaremus ea, quae in profanis omnino ornatibus ut plurimum impenduntur!

Hu-

Huiusmodi veritates re ipsa comperi non invitum, immo ultro ac libenter, si recte edoceatur, amplecti populum; ac facile intelligere, externum cultum debere esse, veluti fidissimum eorum interpretem, quae quisque de Deo sentit, cui verus non exhibetur cultus, nisi summopere diligatur. *Pietas Dei cultus est* (his verbis D. Augustinus nos monet ep. 140. n. 45.) *nec colitur*, *nisi amando*. Quisquis igitur populum edocendi munus negligit, eo se scelere obstringit, de quo severior habebitur quam de caeteris quaestio, graviusque punietur. Imperitis, et conducticiis quibusdam hominibus in re tam gravi confidere, atque in eorum opera conquiescere, idem prorsus est, atque animas fidei nostrae divinitus creditas aeternis suppliciis devovere. Ignorare vobis non licet, Venerabiles Fratres, falsos interdum existere Apostolos, qui doceant cuivis pro certo habendum, suo se satis fecisse muneri, si minutula ac levia quaedam ab iisdem proposita pietatis opera se accurate perfecisse gloriari inaniter ac superbe possit; quin contra praecipiant, sua omnibus officia penitus cognoscenda, temperandos corrigendosque animi motus, ea servanda fideliter, quae tum iustitia, atque in alios homines benevolentia exigit, tum erga Deum observanda fides, ac Religio iubet. Nonne, carissimi Fratres, quicumque gravissima haec officia negligens alias parvi momenti res alioquin bonas, laudandasque, si recte iisdem utamur, studiose curat; nonne, inquam, is homines impellit in fraudem, manifesta ad peccandum sollicitatione quibusdam fortasse graviorem? Sapienter igitur clarissimus ille Praesul, cuius legendam vobis proponimus Pastoralem Epistolam, hortatur etiam atque etiam Parochos, ut potius ipsi per se populum instruant, quam ut mercenaria quorumdam Sacerdotum opera, nisi vera adsit necessitas, utantur. Divinae Scipturae lectio, et familiaris optimorum piorumque carminum patrio sermone conscriptorum etiam in sacris faciundis usus ab agresti cultu, atque ignorantia revocare populos, eosque tum optimos Christi sectatores, tum fidissimos Principi subditos efficere proculdubio posset. In promptu sunt translati in patrium sermonem Divinae Scripturae libri. Quam foret optandum, ut aliquis vestrum peritissimus harum rerum sacris colligendis hymnis ad nostri gregis usum sedulo adlaboraret, ut de hac nostra Dioecesi dici merito posset, quod de Bethlehem, eiusque vicinia ad Marcellam scripsit olim S. Hieronymus! „ Extra Psalmos si-

„ silentium est; quocumque te verteris, arator stivam te-
„ nens Alleluia decantat; sudans messor Psalmis se avocat,
„ et curva attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum
„ canit. Haec sunt in hac provincia carmina, hae, ut
„ vulgo dicitur, amatoriae cantiones, hic pastorum sibilus,
„ haec arma culturae „. Cum eo curae diligentiaeque ille Praesul devenerit, ut sacrorum carminum libellum conficiendum proponat, quorum sententiam intelligat populus, ut suarum precationum vim atque rationem assequi mente facilius possit, pravam illam nullatenus ferre poterat consuetudinem, qua molles atque operosi illi concentus in Ecclesiam invecti velut in theatralia spectacula divina officia convertunt. Non istarum voluptatum illecebris, sed optima disciplina excoluntur populi; agricolae vero omnium maxime societati utiles ac necessarii omnium etiam maxime in densissimis ignorantiae tenebris versantur. Quot quantaque inde tum in Ecclesiam, tum in rem publicam proficiscantur incommoda, facile vobis erit, Ven. Fratres, intelligere. Quicumque ergo in rudi agrestique populo versamini, gravissimum hoc ac perutile praestetis officium velim, eidem excolendo instituendoque pro viribus adlaborantes. Quid in eo possit sedula optimi Pastoris industria, doctus ille Archiepiscopus non praetermittit ostendere. In hac demum Epistola de Sanctorum veneratione, ac de sacris expiationibus, sive Indulgentiis agitur. Quod ad Sanctorum cultum pertinet, nihil aliud Fides Catholica docet, quam bonum atque utile esse eosdem venerari, eorumque apud Deum preces implorare, de qua re plurimi quidem invaluerunt errores; atque utinam avaritia, et hypocrisis, quarum altera alteram sequi solet in Clericis, numquam vestros dominentur in animos, ut ne fidelium pietatem in turpis lucri occasionem convertatis, novas quasdam in Sanctorum cultu Religiones in populos inducentes! Nimis quidem necesse est, his praesertim temporibus, ut populi intelligant, peculiarem nullam sacris imaginibus inesse virtutem; Sanctos omnes, ne ipsa quidem excepta Virgine Dei matre, coli unice, tamquam Dei servos atque amicos, quem Deum solum veluti rerum omnium conditorem, ac Dominum summo honore prosequimur; unum, verum, ac necessarium Mediatorem nostrum, Salvatorem, Deprecatoremque apud Deum Patrem esse Iesum Christum; non iis, quae Rosaria vulgo dicuntur, non novendialibus precibus, non alicui Sodalitio nomen dando Sanctos nos effici, sed Christia-

nis

nis colendis virtutibus, quas unice consequi possumus divinae gratiae auxilio. Nec minus necessaria populis est verae de Indulgentiis doctrinae cognitio, ut magis caveant, ne vanis quibusdam Doctoribus fidem tum facile adhibeant, qui ad ignaros, atque incautos homines decipiendos gravissimos errores venditant, Christianam poenitentiam prorsus enervant, ac docent, sacram deosculando imaginem, circumeundo Ecclesiam, breves quasdam precationes recitando, nostris lacessitam culpis flecti placarique satis posse divinam iustitiam.

Quae in egregia illa Epistola continentur, breviter vobis exponens, Fratres carissimi, vos etiam de pravis quibusdam consuetudinibus opinionibusque praemonere volui, quae nimis quidem etiam apud nos vigent, ut ea perlegatis attentius, quae Colloredus Archiepiscopus sapienter instituit, quaeque ut amplecti omnino possim, atque perficere, in votis mihi maxime est. Non me latet, omnia omnibus gentibus regionibusque non expedire, sed aliis alia. Idem tamen est ubique gentium Ecclesiae spiritus, eadem mens. Sedulo igitur unusquisque vestrum expendat, ac videat, quid sui gregis bonum maxime postulet, quid in eo corrigendum reformandumque sit; mox ex huius Dioecesis more proximis mensibus relatum accedens, qualem suam quisque habeat Ecclesiam, ea mihi scripto significare poterit, quae tum in tota Dioecesi, tum in suo praesertim grege opus habent, ut corrigantur. Idem et Parochi Urbani facient, quo mature, communicatisque consiliis decerni possint, quae aptiora videntur ad expurgandam tot abusionibus Ecclesiam, quae contra perspicuam Iesu Christi mentem in eam invehuntur, licet ipsa nullo non tempore easdem aversetur atque improbet. Opportunius interim non posse me arbitror, de noxia colligendae atque emendicandae stipis consuetudine vobis mandata proponere, a Religiosissimo sapientissimoque Principe, de augendo Ecclesiae bono tollendisque abusionibus apprime sollicito, nobis perhumaniter data. Dum ergo vobis praecipimus, ut sanctissimis huiusmodi conformantes vos legibus earum necessitatem aequitatemque populo ostendatis, mihi etiam in animo est idoneam vobis occasionem offerre, qua vester, tum a lucri cupiditate alienus, qualis semper esse debet, tum voluntati Principis, cui Deus praecipuo suae misericordiae munere regendos nos tradidit, recte alacriterque obsequens animus populis innotescat.

tescat. Expecto etiam a vobis, ut proponatis, quomodo sine ullo populorum onere novus Capellanus institui, alique possit, ubicumque id fieri necesse fuerit, ut diligentius ministretur populis; atque ita nulli graves, nullius rei necessariae egentes vestri officia ministerii exequi rite possitis; quod Deus suae gratiae auxilio nobis omnibus impertiri dignetur.

Dat. Pistorii in Aedibus Episcop. 11. Id. Apr. 1783.

SCIPIO EPISCOPUS PISTOR., ET PRATENSIS

Paulus Ciulli
Cancellarius Gener. Episcopalis

Epistola Kal. Martii an. 1783. data ad omnes Etruriae Episcopos, ac Praetores per eum qui ab intimis Regii Iuris consiliis est.

REGIA CELSITUDO re ipsa comperit, parum, aut nihil profecisse data hactenus mandata ad moderandam coërcendamque colligendae quaeritandaeque stipis consuetudinem; ea fortasse de causa, quod importunis postulantium precibus fatigati Episcopi quodammodo coguntur huiusmodi veniam concedere, atque ad id probandum, quod concedunt Episcopi, quadam erga eos observantia Praetores adducuntur.

Inutile ergo, aut saltem non diutinum fore intelligit, quidquid praeterea decerneret, nisi omnino vetet, uti vetare omnino constituit, ne tam in Ecclesia, quam extra, tam rure, quam in Civitatibus, Oppidis, Castellis, ad festa, aut officia celebranda, ad alias quaslibet vel sacras, vel profanas res, nulla prorsus excepta, faciundas quidquam vel pecuniae, vel rei ab ullo usquam quaeratur, aut postuletur.

Hic tamen non intelligatur vetitum tantum pecuniae quaeritare, et colligere, quantum necesse sit, eleemosynae ad aliquam amplius missam diebus festis celebrandam ad populi commoditatem, aut ad necessarium praebendum Parocho, aut Capellano victum, ubi ea consuetudo vigeat, et nondum fuerit aliter iisdem provisum.

Pau-

Pauperes etiam, ac Regulares vere mendicantes; nullumque fundum possidentes minime vetantur emendicare stipem, ac subsidia colligere, uti superioribus legibus constitutum est.

In huiusmodi interdicto ne contineantur quidem ea, quae pietatem, non qua late patet, sed strictissime acceptam spectant, veluti nosocomia, pauperum hospitia, atque alia, pro quibus licebit quaeritare et colligere subsidia. Ac ne ulla de hoc exoriatur ambiguitas aut dubitatio, neque aliae inducantur abusiones, impetranda erit a Praetore eius rei facultas sive temporaria, sive nullis temporis limitibus circumscripta.

Cumque evenire possit, ut collectitiae pecuniae defectui occurrendi gratia, atque easdem ob causas augeatur, praesertim rure in Sodalitiis Congregationibusque, quae imperari quotannis solet pecuniae summa, non solum Praetoribus, sed ipsis etiam Episcopis Regia Celsitudo mandat, ut omnem vigilantiam, curamque adhibeant, ne id unquam fiat; ita enim auctis in dies, quae in huiusmodi Sodalitiis invaluerunt, incommodis, verendum eo magis foret, ne tandem omnino tollantur.

De his, clarissime Praesul, Magno iubente Duce, certiorem te facio, ut, quid tibi opus factu sit, scias.

Certam Regia Celsitudo spem habet, supremae illius menti te obsecuturum, tibique persuasum penitus esse arbitratur, frequentioribus illis solemniis, quorum causa ad erogandum aliquid sollicitatur importune populus, nedum augeri in eo pietatis studium, ab imperatis Religione officiis exercitationibusque ipsum ut plurimum avocari, nullumque profectum inde malum, si ea solum celebrentur sacra, quibus celebrandis necessarii reditus, ac destinati ad id ministri sufficiunt.

Florentiae Kal. Martiis an. 1783.

Cel-

Celsissimi ac Reverendissimi Principis, atque Archiepiscopi Salisburgensis

HIERONYMI DE COLLOREDO
etc. etc. etc.

Pastoralis Epistola; in qua de inani pompa a rebus sacris tollenda agitur; Divinorum librorum suadetur lectio; sacrorum carminum germanice conscriptorum liber proponitur, aliaque data Parochis mandata ac monita continentur, ut suo rectius officio fungantur.

NOS HIERONYMUS etc. etc.

Universis Clericis in nostra hac suprema, atque Archiepiscopali Dioecesi animarum curam gerentibus Pastoralem benedictionem impertimur etc.

1. Maximam quidem in sacris exornandis aedibus curam diligentiamque catholica adhibuit nullo non tempore Ecclesia. Ex quo enim cruentae illorum, qui eam dire exagitabant opprimebantque, quieverunt insectationes, conspici coepta sunt magnificentissima ad caelum erecta templa, ornati marmore auroque parietes, aut pictis affabre imaginibus quodammodo spirantes, atque ipsa templorum sacraria, pretiosissimâ in Episcoporum servorumque Dei usum supellectili instructa, aurea vasa, et cuiusque generis ostentare gemmas, ipsasque Regum gazas aemulari (a).

2. Haud negandûm tamen est, iampridem, atque a primis usque temporibus adversus nimios in Dei cultu sumptus invehi coeptum, interdum immerito prorsus ac temere, uti apud S. Matth. 26. 9., alias vero acerrime, uti

(a) *Eusebius de vita Constantini lib. III. cap.* 50. *et* 51. *Item lib. IV. cap.* 58. *Socrat. lib. I. cap.* 16. 17. 18. *Chronicon Alexand. ad an.* 304. *et plures alii, quos inter legi prae aliis meretur Paulus Silentiarius apud Du-Fresne.*

uti ab Isidoro Pelusiota, qui inter D. Chrysostomi discipulos ingenii doctrinaeque fama clarius exsplendescebat, factum fuisse legimus; ait enim, immodicis onerari ornatibus templa; haberi vero turpissime contemptui Ecclesiam; ea omnis generis marmoribus tegi, hanc vero spiritualibus, quibus Apostolorum aetate affluebat, donis muneribusque esse prorsus expertem (a).

3. Res quidem ita se habet, Sodales mei, atque in pastorali munere Adiutores. Si huiusmodi ornatibus Divino cultui inservientibus postponantur, aut eorum causa praecipua magisque necessaria omnino negligantur Christianae Religionis officia, segnes socordesque gerere se minime debent Ecclesiae Pastores, ac Praesides, sed quae modum excedunt, per eos prorsus tollenda, curandumque est, ut ea rursus accurate serventur, in quibus vis, et ratio divini cultus maxime continetur.

4. Nimium quidem nobis cordi est, quidquid ad nostrum officium pertinet, ne nostras huiusmodi cogitationes silentio praetereamus. Nostrae Archiepiscopalis Ecclesiae *Iubilaeum* duodecim elapsis ab ipsius Ecclesiae exordio saeculis tandem rediens, atque in primam septembris diem indictum haud certe minoris interest, quam haec, de quibus nunc moneo, quaeque vos publice alloquendi, nostrique omnia patefaciendi vobis animi sensa occasionem nobis saepius praebuerunt. In hac igitur tam celebri, et tam raro recurrente solemnitate summi vestri Pastoris vocem iure optimo expectatis.

5. Observatum saepius a nobis est, inter omnia paene Collegia huius Archiepiscopalis Dioecesis ingens quod-

(a) *Isidor. Pelus. lib. II. Ep.* 246. „ *Apostolorum tempore* „ *cum Ecclesia*, *et spiritualibus gratiis abundaret*, *et* „ *vitae splendore afflueret*, *nulla templa erant*, *et nostra tempestate* templa, plusquam par sit, exornata „ sunt; Ecclesia autem, *ne quid gravius dicam*, comicis cavillis incessitur. *Ego vero*, *si mihi optio daretur*, „ *temporibus illis fuisse mallem*, *in quibus templa quidem non perinde ornata erant*; *Ecclesia autem divinis*, *ac caelestibus gratiis undique cincta*, *et redimita* „ *erat*, *quam his nostris*, *in quibus templa quidem omnis* „ *generis marmoribus cohonestata sunt*, *Ecclesia autem* „ *spiritualibus illis gratiis nuda et vacua est* „.

dam existere aemulationis certamen, quo fit, ut nullus neque sacrorum vexillorum altitudine atque amplitudine, neque baculorum et vestium Sodalitiis inservientium copia et varietate, neque campanarum magnitudine ac numero, neque altarium et sacrae supellectilis multitudine, atque magnificentia, pictis egregie fornicibus ac parietibus, accensis facibus lampadibusque, uno verbo templorum nitore ac pompa, alius se ab alio vinci patiatur.

6. Haec sane a plerisque nostri Christiani populi plus aequo aestimari videntur. Vix enim ingens aliqua pecuniae summa in Ecclesiae aerarium congesta est, statim in memoratis ante rebus impendenda esse existimatur. Quod si desit pecunia, omni genere officiorum ac precum a ditioribus Ecclesiis postulantur subsidia, ac tum a locupletibus, tum a pauperibus aes omni studio colligitur, atque ipsis suadetur iam morti proximis, ut aliquam suarum facultatum partem addicere Ecclesiae velint. Proxima magnificentius instructa templa invidiam faciunt; minus ornata minusque opulenta contemnuntur. Nil demum intentatum relinquitur, ut quisque aliis par, aut si fieri potest, etiam superior videatur.

7. Nonne opportune hic illa personarent Doctoris gentium verba: *Aemulamini autem charismata meliora; et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro?* (1. Cor. 12. 31.) Priscis quidem Apostolorum, nascentisque Ecclesiae temporibus aliter prorsus de hac re, atque in praesens sentiebatur. Neminem enim inter Christianos inopia languescere patiebantur Apostoli, sed omnibus pro cuiusque necessitate atque usu distribuebant, quidquid ante eorum pedes a Fidelibus ponebatur (Act. Apost. 4. 34.). Institutus ab ipsis Diaconorum ordo, qui praeter alia non humile quidem illud pauperum fidelium usibus inserviendi consulendique ministerium obibant (Act. Ap. 6. 1.). In hunc ordinem pleni Spiritu Sancto sapientiaque homines cooptabantur (Ibid. v. 3.). Eorum studio crescebat Domini verbum, multiplicabatur discipulorum numerus, fideique plurimi obediebant (Ibid. v. 7.).

8. Quae Apostolorum institutio nusquam fidelius, quam in Africana Ecclesia retenta est, in qua singulis Clericis alicuius artis imperabatur cognitio, ut ipsorum (*) Apostolorum exem-

(*) Act. Ap. 20. 33. 34. *Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae.*

exemplo, adimpletis sui ministerii officiis possent sibi suarummet manuum labore victum comparare (*). Tertulliani testimonio, qui suum *Apologeticon* anno primo supra ducentesimum exhibuit, aperte docemur „illius aetate, quaecumque a Fidelibus offerebantur Ecclesiae, pauperibus gratuito consuevisse distribui, et siquid rei, aut pecuniae congerebatur, id factum esse sine ullo Simoniacae labis periculo; ita ut unusquisque singulis mensibus parem suis facultatibus stipem, nullo cogente, sed libens atque ultro conferret. Hinc quoddam veluti existebat aerarium, non lautitiis inserviens, ac voluptatibus, sed egenis alendis humandisque, et pueris, atque puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, iis demum in libertatem vindicandis sublevandisque, qui pro tuenda propugnandaque Dei caussa ad triremes, in vinculis, aut pulsi domo miserrime cruciabantur.

9. Una illa diu fuit omnium in Ecclesia vox, in oblatis fidelium pietate muneribus, in captivorum redemptione, in solatio pauperum unice posita esse eiusdem Ecclesiae bona. Et sane quisquis in aliam rem, quam in pauperum subsidium impendisset Ecclesiae opes, ut sacrilegus, et pauperum homicida tunc temporis habebatur.

10. Longe pluris erat apud primaevos Christi fideles alere pauperes, quam opes ornatusque templorum. Plurima extant, atque gravissima de hac re SS. Patrum Conciliorumque decreta ac testimonia.

11. Invitus quidem, nonnullis tantum allatis, caetera cogor omittere, quae praeclare in hanc rem scripta reperiuntur. Quaeso, saltem audiatis S. Ambrosium, qui lib. II. de Off. c. 28. „Hoc, inquit, maximum incentivum misericordiae est ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, iuvemus, et plus interdum, quam possu-

„ mus

(*) Conc. Carth. IV. A. C. 398. can. 31. *Ut Episcopus rebus Ecclesiae, tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur*. Can. 51. *Ut Clericus, quamtumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quaerat*. Can. 52. *Clericus victum, et vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui detrimento praeparet*. Can. 53. *Omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, et artificia et literas discant*.

„ mus. Melius est enim pro misericordia causas praestare,
„ vel invidiam perpeti, quam praetendere inclementiam: ut
„ nos aliquando in invidiam incidimus, qui confregerimus
„ vasa mystica, ut captivos redimeremus; quod Arianis
„ displicere poterat, nec tam factum displicere, quam ut
„ esset, quo in nobis reprehenderent. Quis autem est tam
„ durus, immitis, ferreus, cui displiceat, quod homo redi-
„ mitur a morte, foemina ab impuritatibus barbarorum,
„ quae graviores morte sunt, adolescentulae, pueruli, in-
„ fantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inqui-
„ nabantur? Quam causam nos etsi ratione aliqua gessimus,
„ tamen ita in populo prosecuti sumus, ut confiteremur,
„ multoque fuisse commodius adstrueremus, ut animas Do-
„ mino, quam aurum servaremus. Qui enim sine auro misit
„ Apostolos, Ecclesiam sine auro congregavit / Aurum Ec-
„ clesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat
„ in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adiu-
„ vat? An ignoramus, quantum auri atque argenti de
„ templo Domini Assyrii sustulerint? Nonne melius conflat
„ sacerdos pro alimonia pauperum, si alia subsidia desint,
„ quam ut sacrilegus contaminet, et asportet hostis? Non-
„ ne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame
„ mori? Certe habebas aurum, unde ministrares alimoniam.
„ Cur tot captivi reducti in commercium, nec redempti?
„ Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, ut vasa vi-
„ ventium servares, quam metallorum. His non potest
„ responsum afferri. Quid enim dices? Timui, ne templo
„ Dei ornatus deesset. Respondebit: Aurum sacramenta non
„ quaerunt, neque auro placent, quae auro non emuntur.
„ Ornatus Sacramentorum redemptio captivorum est. Et ve-
„ re illa sunt vasa pretiosa, quae redimunt animas a morte.
„ Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod san-
„ guis eius operatus est. Tum vas Dominici sanguinis agno-
„ sco, cum in utroque videro redemptionem.... Huic mu-
„ neri proficere debuit aurum Redemptoris, ut redimeret
„ periclitantes.... Tale aurum S. Martyr Laurentius Domino
„ reservavit, a quo cum quaererentur thesauri Ecclesiae,
„ promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit.
„ Interrogatus, ubi essent thesauri, quos promiserat, osten-
„ dit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiae. Et vere
„ thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides
„ est. Denique Apostolus ait = Habemus thesaurum in va-

„ sis

„ sis fictilibus =. Quos meliores thesauros habet Christus, „ quam eos, in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est „ = Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis „ mihi bibere; hospes eram, et collegistis me „ = Et infra. „ Quod enim uni horum fecistis, mihi fecistis =„. In hunc igitur piissimum sane usum impendenda esse arbitror, si necessitas postulet, quaecumque habet Ecclesia.

Audite etiam Chrysostomum, qui Homil. 50. alias 51. in Matth. „ Nullus ergo Iudas, inquit, nullus Simon hanc „ mensam adeat, quorum uterque aeris cupiditate periit. „ Quare fugiamus, oro, hanc foveam, neque putemus satis „ esse nobis ad salutem, si cum viduas, et orbos parentum „ spoliaveris, aureum calicem, et gemmis ornatum huic „ mensae offeras. Vis hoc sacrificium honorare? Animam „ tuam offeras, propter quam Christus immolatus est; eam „ auream facito. Quod si anima tua plumbo, ac testa dete„ rior est, quid tibi proderunt aurea vasa? .... Non enim „ auri, vel argenti officina, sed Angelorum celebritas Ec„ clesia est .... Et certe non erat ex argento illa mensa, „ nec ex auro ille calix, quo Christus Discipulis sanguinem „ praebuit suum: pretiosa tamen erant omnia, et veneratio„ nis plena, quia spiritu abundabant. Vis corpus Christi ho„ norare? Non despicias ipsum nudum, neque hic quidem „ in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore, ac „ nuditate confici negligas. Qui enim dixit: *Hoc est corpus* „ *meum*, et rem simul cum verbo confecit, idem dixit: „ *Esurientem me vidistis, et non cibastis; et in quantum* „ *non fecistis uni eorum minimorum, nec mihi fecistis*. Hoc „ certe corpus Christi non amictu, sed animâ mundâ indi„ get; illud autem multa cura, et diligentia eget.... Pariter „ tu etiam ita eum honora, ut ipse vult; expone divitias „ tuas pauperibus. Non est opus vasis, sed animis aureis. „ Hoc dico, non quia vetare velim talium vasorum oblatio„ nem, sed quia dignum putem ante omnia misericordiae, „ ac benignitati esse incumbendum. Nam et vasa Deus su„ scipit, sed illa multo magis sibi gratiosa sunt. Et vasa „ quidem danti solum profuerint, benignitas vero etiam ac„ cipienti. Et hic quidem ostentatio nonnunquam potest ac„ cusari; ibi vero totum misericordi animo attribuitur. Re„ sponde, quaeso, quaenam utilitas est, si cum mensa eius „ multis calicibus aureis ornatur, ipse inedia pereat? Prius „ igitur ipsum esurientem satura, deinde ex quadam super-

„ abun-

„ abundantia mensam etiam eius ornabis. Calicem aureum
„ facis, sed aquae frigidae calicem ei non praebes. Et quod
„ hinc emolumentum consequitur? Coopertoria mensae auro
„ niteat, et ipsi necessaria velamina negas. Quid igitur ipsi
„ praebes? Dic, oro, siquem fame pereuntem videres, nec
„ cibo solvere ipsius famem curares, sed multo argento, ac
„ auro mensam solummodo exornares; quas putas illum
„ gratias tibi habiturum, ac non potius indignaturum? Quid
„ porro si vestibus detritis, ac pertusis vestitum, et frigore
„ congelatum hominem aspiceres, nec vestem aliquam ei
„ praeparares, aureas statuas ad laudem eius erigeres? non-
„ ne contemnere, atque irridere ipsum videreris? Ita se
„ oportet in Christo etiam cogitare, cum errabundus, et
„ peregrinus circumvagetur tecto indigens, nec tu ipsum
„ quidem non suscipis, vermiculato emblemate pavimenta
„ ornas, magnificos muros construis, columnarum capita
„ erigis, lychnos ab argenteis catenis dependere facis;
„ ipsum vero nec visitare quidem curas in carceribus vinctum.
„ Nec prohibeo magnifica templa condere, sed haec cum
„ illis, immo vero haec ante illa facere moneo. Nemo enim,
„ quia templa magnifica non condiderit, unquam accusatus
„ est, at vero gehenna, ignis inextinguibilis, supplicia
„ Daemonum imminent, nisi quis diligenter ista peragere
„ velit. Cum ergo aedes exornes, noli afflictum fratrem
„ despicere; hoc enim templum illo est multo praestantius.
„ Nam et illud infideles reges, et tyranni, et latrones ca-
„ pere possunt. Quidquid autem benigne in fratrem feceris,
„ nec diabolus ipse poterit unquam eripere, sed manet
„ thesauris aeternis reconditum.

12. Aegre silentio praetermittimus, quae eodem incensi religionis studio scripserunt auctores, qui sequuntur. Gregor. VII. lib. III. Dialogorum c. 1. Socrates histor. Eccl. lib. VII. c. 21. Possidius in vita S. Aug. cap. 24. Codex canonum Africanae Ecclesiae n. 26. Symmachus Papa Ep. 5. ad Caesar. Arelat. Ep. Agapetus Papa I. Ep. VI. ad eumdem Caesarium. Iustinianus Imperator lib. I. Cod. 1. 21. Pelagius Papa in Ep. VIII. ad Sapandum Arelat. Ep. Anastasius Sinaita in responsionibus ad orthodoxorum interrogationes n. 14. Gregor. I. lib. VI. ep. 13. ad Fortunatum Fanensem, et eod. lib. epist. 35. ad Bonum Messanensem Ep. item lib. I. indict. 2. ep. 14. ad Demtreianum, et Valerianum Clericos Firmanos. Concilium Remense n. 530. Can. 22. Aimonius Floriacensis

Mo-

Monachus lib. IV. de rebus gestis Francorum c. 42. Baronius in Annal. ad annum 640. Iacobus Gordonus in chron. ad annum 641. Dionysius Petavius in ration. temp. p. 1. lib. 8. c. 2. ex Aimonio, Carolus M. et Episcopi Galliae lib. I. Capitular. n. 94. Synodus VIII. A. 869. can. 15. etc. etc.

Sed nimis ad hanc rem accommodate disserunt Hieronymus, et Bernardus, quorum in medium afferre cogimur testimonia. Hieronymus quidem in Ep. ad Nepotianum ait: „ Petis a me, Nepotiane carissime, litteris transmarinis, et „ crebro petis, ut tibi brevi volumine digeram praecepta „ vivendi, et qua ratione, qui saeculi militia derelicta vel „ Monachus coeperit esse, vel Clericus, rectum Christi „ tramitem teneat, ne ad diversa vitiorum diverticula rapiatur.... Obsecro itaque te, et repetens iterum iterumque „ moneo, ne officium Clericatus genus antiquae militiae „ putes, idest ne lucra saeculi in Christi quaeras militia, „ ne plus habeas, quam quando Clericus esse coepisti. „ Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quam fuerant saeculares, et Clerici, qui possiderent opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, et fallace Diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit „ ante mendicos. Mensulam tuam pauperes, et peregrini, „ et cum illis Christus conviva noverit: negotiatorem Clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi „ quamdam pestem fuge.... Per fideicommissa legibus illudimus, et quasi maiora sint Imperatorum scita, quam „ Christi, leges timemus, Evangelia contemnimus. Sit haeres, sed mater filiorum, idest gregis sui Ecclesia, quae „ illos genuit, nutrivit, et pavit. Quid nos inferimus inter „ matrem, et liberos? Gloria Episcopi est pauperum inopiae „ providere. Ignominia omnium Sacerdotum est propriis „ studere divitiis.... Multi aedificant parietes, et columnas „ Ecclesiae substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, et ministrorum Christi „ nulla electio est. Neque vero mihi aliquis opponat dives „ in Iudaea templum, mensam, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, et caetera ex auro fabrefacta. Tum „ haec probabantur a Domino, quando Sacerdotes hostias „ immolabant, et sanguis pecudum erat redemptio peccatorum. Quamquam haec omnia praecesserint in figura, scripta sunt autem propter nos, in quos fines saeculorum „ devenerunt. Nunc vero cum paupertatem domus suae

„ pauper Dominus dedicaverit, cogitemus Crucem e:
„ divitias lutum putabimus.... aurum repudiemus cu
„ teris superstitionibus Iudaeorum, aut si aurum
„ placeant et Iudaei, quos cum auro aut probare no
„ cesse est, aut damnare.

Idem quoque in Epistola ad Demetriadem i
„ Cum aetas maturior fuerit, et voluntas gravior, firm
„ sententia, facies, quod tibi visum fuerit, immo quo
„ minus imperat, scitura nihil te habituram, nisi qu
„ bonis operibus erogaveris. Alii aedificent Ecclesias
„ stiant parietes marmorum crustis, columnarum mole
„ vehant, earumque deaurent capita pretiosum ornatum
„ sentientia; ebore, argentoque valvas, et gemmis a
„ distinguant altaria. Non reprehendo, non abnuo. U
„ quisque in sensu suo abundet. Meliusque est hoc fac
„ quam expositis opibus incubare. Sed tibi aliud propos
„ est, Christum vestire in pauperibus, visitare in langu
„ bus, pascere in esurientibus, suscipere in his, qui t
„ indigent.

In Epistola vero ad Eustochium in Paulae eius m
Epitaphio: „ Nemo, inquit, ab ea pauperum vacuus re
„ sus est. Quod obtinebat, non divitiarum magnitudi
„ sed prudentia dispensandi, illud semper replicans: *Be*
„ *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequent.*
„ Et: *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna exting*
„ *peccatum*. Et: *Facite vobis amicos de iniquo mammon*
„ *qui vos recipiant in aeterna tabernacula*. Et: *Date el*
„ *mosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Et ver
„ Danielis Regem Nabuchodonosor monentis, ut eleemo
„ nis redimeret peccata sua. Nolebat in his lapidibus pec
„ niam effundere, qui cum terra, et saeculo transituri sun
„ sed in vivis lapidibus, qui volvuntur super terram.

Denique D. Bernardus eadem, quae semper in eo ce
nitur, ingenii atque eloquentiae vi, eodem Religionis st
dio ita in effusas, quae neglectis pietatis operibus ad exo
nanda templa fieri solent, impensas invehitur in Apologia a
Guillelmum Abbatem „ O vanitas vanitatum, sed non va
„ nior, quam insanior! Fulget Ecclesia in parietibus, et i
„ pauperibus eget. Suos lapides induit auro, et suos filio
„ nudos deserit. De sumptibus egenorum servitur oculis di
„ vitum. Inveniunt curiosi, quo delectentur, non inveniunt
„ miseri, quo substententur.

13.

13. Ex his omnibus, quae hactenus exposita sunt, quisque facile intelliget consequi, primo Sanctos Ecclesiae Patres, Concilia, veteres Imperatores, Latoresque legum religiosae pompae praetulisse humanitatem, ac beneficentiam in pauperes, eamque pompam vidisse libenter imminutam, immo, ut aliquid de ea ad alendos pauperes detraheretur, suasisse vehementer; deinde congestam pecuniam, pretiosissimosque Ecclesiae thesauros, et ornatus fuisse apud eos non solum tamquam res prorsus inutiles, sed veluti furto ablatas ipsi Christo Iesu, cuius prae se ferunt imaginem pauperes, cuique gratissimum est, ut haec omnia eorum victui inserviant.

14. Ac ne quis forte allata hactenus non ad nostram, sed ad veterem tantum aetatem testimonia pertinere existimet, hic tandem ea proferre placet, quae illius ore pronunciata legimus, cuius quidem verba eadem perpetuo mansura sunt, ubi etiam caelum, et terra esse desierint, (*Math.* 24. 25.) quaeque passim in novi Foederis libris, qui ad finem usque mundi unica erunt Fidei et Christianae vitae ratio, de hac re praecipiuntur. Apertissime ergo apud S. Matthaeum a trigesimo primo quinti et vicesimi capitis versiculo ad 46. hoc traditur, Deum cuius infinita magnitudo ac felicitas est, nullius indigentem rei, nullosque ex nostris recte factis capientem fructus, ut sibi factum habiturum, quidquid Christiana charitate permoti in alios fecerimus; contra vero in eum, qui proximos non dilexerit, in futura vita graviter animadversurum; hinc enim Deum ipse non dilexisse arguitur manifestissime. „ Cum autem venerit Filius hominis in „ maiestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit „ super sedem maiestatis suae: et congregabuntur ante eum „ omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor „ segregat oves ab haedis; et statuet oves quidem a dextris „ suis, haedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his, qui „ a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possi„ dete paratum vobis Regnum a constitutione mundi. Esuri„ vi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis „ mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et „ cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere „ eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, „ dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pa„ vimus te, sitientem, et dedimus tibi potum? Quando „ autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum,

 „ et

„ et cooperuimus te ? Aut quando te vidimus infirmum, aut „ in carcere, et venimus ad te ? Et respondens Rex dicet „ illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fra„ tribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et his, qui „ a sinistris erunt: discedite a mé maledicti in ignem ae„ ternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis eius. Esurivi „ enim, et non dedistis mihi manducare, sitivi, et non „ dedistis mihi bibere, hospes eram, et non collegistis me; „ nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, „ et non visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi, di„ centes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut si„ tientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut „ in carcere, et non ministravimus tibi ? Tunc respondebit „ illis, dicens: Amen dico vobis; quamdiu non fecistis uni „ de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in sup„ plicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. „

Religiosa enim illa pompa, quae non sine magno benevolentiae erga alios homines detrimento fovetur, notatur merito tamquam hypocrisis, ac Divinae legis violatio Marc. 7. 6. „ Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut „ scriptum: Populus hic labiis me honorat, cor autem eo„ rum longe est a me. In vanum autem me colunt docen„ tes doctrinas, et praecepta hominum. Relinquentes enim „ mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, et alia si„ milia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene irritum fa„ citis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. „ Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, et matrem „ tuam. Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moria„ tur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, „ *Corban* (quod est donum) quodcumque ex me, tibi pro„ fuerit. Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri „ suo, aut matri (vel proximo) rescindentes verbum Dei „ per traditionem vestram, quam tradidistis; et similia hu„ iusmodi multa facitis.

Aliis benefacere, impertiri misericordiam, recte coram Deo ambulare, totum id demum est, quod ille potissimum a nobis exigit. Mich. 6. 6. 8. „ Quid dignum offeram Do„ mino ? Curvabo genu Deo excelso ? Numquid offeram ei „ holocautomata, et vitulos anniculos ? Numquid placari po„ test Dominus in millibus arietum, aut in multitudine „ torrentium olei ? (hanc Hebraeum exemplar habet sen„ tentiam): Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, et

„ quid

„ quid Dominus requirat a te. Utique facere iudicium, et „ diligere misericordiam, et sollicitum ambulare coram Deo „ tuo „. Oblata igitur munera, ardentesque lampades longe minoris sunt, quam amor in proximos, immo sine hoc nihil sunt coram Deo.

Universa autem verae Religionis officia his paucis verbis complexus est Iacobus Apostolus c. 1. v. 27 „ Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem haec est: visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum (efficax amor „ in pauperes), et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.

Cum simus ad imaginem Dei conditi, in eo toti esse Christiani debent, ut quantum fas est, fiant in dies magis Deo ipsi persimiles (*Matth.* 5. 48.) in proximi autem amore huius similitudinis vis et ratio maxime cernitur. (*Luc.* 6. 32. 37.) „ Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis „ gratia est? Nam et peccatores diligentes se diligunt. Et „ si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quae vobis est „ gratia? Si quidem et peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus foenerantur, „ ut recipiant aequalia. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, et mutuum date nihil inde sperantes, „ et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia „ ipse benignus est super ingratos, et malos. Estote ergo „ misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

Ex proximi amore Christianus dignoscitur. (*Ioan.* 13. 35.) „ In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si „ dilectionem habueritis ad invicem.

Totius Divinae legis summa est dilectio proximi (*1. ad Timoth.* 1. 5.) „ Finis autem praecepti est charitas de corde „ puro, et conscientia bona, et fide non ficta (*Ad Rom.* 13. „ 8. 10.) Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam „ non adulterabis; non furaberis; non falsum testimonium „ dices; non concupisces; et si quod est aliud mandatum, „ in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum, sicut „ te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. „ Item Iacob. 2. 7. „ Si tamen „ legem perficitis legalem secundum Scripturas: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum; bene facitis. Ad Colossenses „ autem 3. 14. Super omnia autem haec charitatem habete, „ quod est vinculum perfectionis.

Proximi amor, veluti certissimum, atque uriur Deum amoris argumentum proponitur 1. Ioan. 4 „ Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratre „ oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem „ quem videt, Deum, quem non videt, quomod „ diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut „ git Deum, diligat et fratrem suum.

Est vero plane Christianus, et ab Evangelio prae amor proximi; neque enim in hominibus homin Deum ipsum amore prosequimur (1. *Ioan.* 4. 22. 13.) „ nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in n „ net, et charitas eius in nobis perfecta est. In hoc „ scimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis „ niam de spiritu suo dedit nobis „ Item Matth. 22. 3 „ Ait illi Iesus: Dilige Dominum Deum tuum ex toto „ tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. H „ maximum, et primum mandatum. Secundum autem „ le est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsun „ his duobus mandatis universa lex pendet, et prophe

Ex uno proximi amore caeterae omnes virtutes, a te facta aestimantur (1. *ad Cor.* 13.) „ Si linguis hom „ loquar, et Angelorum, charitatem autem non hab „ factus sum, velut aes sonans, aut cymbalum tinnien „ si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia „ omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, it „ montes transferam, charitatem autem non habuero, „ sum. Et si .... tradidero corpus meum, ita ut arde „ charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. („ ritas patiens est, benigna est, non aemulatur, non „ perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quae „ quae sua sunt; non irritatur; non cogitat malum; r „ gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Om „ suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustin „ Charitas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntu „ sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Ex pa „ enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum aute „ venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex par „ est. Cum essem parvulus, cogitabam ut parvulus. Qua „ do autem factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli „ Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem f „ cie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem c „ gnoscam, sicut et cognitus sum. Nunc autem manen

fi-

„ fides, spes, charitas, tria haec; maior autem horum est „ charitas „.

15. Haec, carissimi Fratres, in magnis obeundis pastoralis ministerii muneribus Adiutores mei, haec meliora sunt, et expetenda maxime nobis dona; haec excellentior per vos monstranda fratribus via est. Neminem quidem inter vos esse arbitror, qui veram amplius non esse existimet illam Iesu Christi sententiam apud S. Matth. c. 14. v. 7. et apud S. Ioan. c. 12. v. 8. *Semper enim pauperes habetis vobiscum*. Rarone in Paroeciis vestris occurrunt orbi parentibus, omnique destituti tutela pueri, neglectae viduae, defecti viribus senes, adducti ad extremam inopiam incendiis, aut tempestatibus homines; alii gravissimis affecti morbis, vel nonnullis membris, aut eorum usu carentes, amentes alii, et victui sibi comparando impares; pars domi se continere pudore coacti, atque interim sub gravissimo inopiae gementes iugo; pars iniustis insectationibus, aut invidia oppressi; pars demum in summam rerum omnium desperationem confecti? Numquamne afflictos calamitatibus populos, vastatas regiones, frustratas colonorum spes vestra aetate vidistis? dum Ecclesia instructa inani de more pompa interim cogebatur, ut sic loquar, eos in summa inopia relinquere, qui in perditis afflictisque rebus, vel aliquam petebant locationis pretii remissionem, vel opem implorabant? Eane ubique sunt vestra Gymnasia, qualia tum finis, quem potissimum spectant, tum nostrorum temporum necessitas postulat? An sedulo, uti par est, adiuvatur discipulorum industria, excitatur ingenium? Satisne Christiana doctrina eruditi ubique adolescentes? Nonne multa adhuc desunt ad augendam pietatem, bonosque mores excitandos accommodata, quae, si de religiosa pompa aliqua diminutio fieret, comparari facillime possent? Totne, ac tam ampla sunt nosocomia, aut pauperum hospitia, ut vera laborantibus inopia alendis, excipiendisque sufficiant? Maestissima hominum cum egestate luctantium multitudo nonne ut sibi efficacius consulatur enixe petit? Nonne optandum quam maxime foret, vel potius necesse esset, ut aliquod propius extrueretur Templum, eique suus praeficeretur Parochus, tot populis commodius inserviendi causa, qui nunc a sua Ecclesia quam longissime distant? Ignotine vobis sunt tot singularis ingenii, multaeque sapientiae homines, otiosam obscuramque traducentes vitam, qui aliquo sustentati, atque erecti auxilio prodire in

publicum, ac perutilem societati operam praestare possent? Nullasne in vestra Paroecia scitis esse religiosas, bene moratas, frugi, ac domus curam habentes puellas, quae ita se gerunt, ut prae caeteris videantur dignae, quae divino eas vocante numine in Christianarum matrum numero aliquando sint, quaeque invitâ inopiâ, si satis dotatae forent, honesto viro, atque institutis bene liberis esse magnae felicitati possent, suoque exemplo spem bonam reliquis omnibus facerent? Num igitur neque annorum numero, quibus gessistis animarum curam, neque litterarum studio, neque usu rerum, aut familiari minus callidorum, minoribusque laborantium vitiis hominum consuetudine, neque inter tot multiplicis divitisque naturae incitamenta, eiusque tam prope, et vestros undique obversantis ob oculos contemplatione, nulla umquam vobis parta cognitio est, quae digna sit, ut ad commune bonum proferatur in lucem? Attendite, quaeso, animis, ipsi vos circumspicite, responsum date. Quis melius respondere posset, quam vos; aut quis vobis reprehensione, ac vituperatione dignior, nisi haec mihi roganti consonum vestrae conscientiae, probandumque nobis responsum dare possetis? Audite ergo, ac scitote, ea omnia, quae vos hactenus pluribus verbis rogavimus (dummodo vestris Ecclesiis necessaria minime desint, ac modica supellectili instructae sint, ita tamen, ut decor in iis, atque ordo niteat) longe maiora, ac sanctiora esse, quam nimia illa pompa, qua Templa nequicquam emicant, ac religiosa fovetur ambitio. Quod ut vobis penitus persuaderem, libenter studui ea breviter ponere vobis ob oculos, quae certissimum Dei verbum, quod in veteris novique Testamenti libris continetur, tum gravissimorum Conciliorum decreta, doctissimorum Patrum testimonia, aequissimorum Principum leges, universa denique de hac re nos docet antiquitas. Quibus si forte praeoccupati pravis opinionibus, ac superstitione ostenduntur animi, si nimium suis Pharisaeorum more inserviendi commodis studium arguitur, nulla nostra culpa id quidem evenit. Tota in eos conferenda culpa est, quorum sunt gravissima, quae protulimus modo verba, atque ipsi interim solari nos satis habebimus allata superius D. Ambrosii sententia lib. II. Off. c. 28. *melius est pro misericordia causas praestare, vel invidiam perpeti, quam praetendere inclementiam*. Illi etiam culpandi, qui cum D. Laurentio custodes Ecclesiasticarum opum egenos esse professi sunt, vel qui

Am-

Ambrosii exemplum sequuti, ubi nulla res alia suppeteret, ipsas templorum usui addictas vestes, vasa ipsa in divina re conficienda adhiberi solita, contemptis obtrectatorum clamoribus, in pauperum subsidium erogabant; vel qui D. Paulini Nolani Episcopi inhaerentes vestigiis (*Greg. M. Dialog. lib. III. c.* 1.) omnia sine ullo discrimine pauperibus sublevandis impertiebantur, et cum aliter demum iis non possent ferre opem, animam ipsam pro fratribus ultro devoverunt. Illorum denique culpa est, qui laudato superius Ambrosio assentientes putabant, nihil pecuniae ab Ecclesia recipiendum, ut eam inani pompa ac magnificentia in exornandis Templorum parietibus nequicquam profundat ac perdat, sed potius ut egenis sapienter distribuat.

16. Quibus permoti rationibus, ac verae doctrinae praeceptis, ea omnia a principe nostra Ecclesia, universis maxime probantibus sanae mentis viris, removenda curavimus, quae dum aras et parietes non tantum immodice ornant, sed potius onerant praeter modum, rationem offendunt; volumus etiam et mandamus, ut nostram hanc principem Ecclesiam caeterae omnes, tum urbanae, tum rurales Ecclesiae veluti normam ac ducem sequantur, nullà prorsus exceptà, quicumque iisdem praesint, vel Saeculares Sacerdotes, vel Laici, vel Regulares, ita ut inani quovis sublato ornatu, et servato nitore atque ordine tollatur extemplo quidquid animi quietem perturbat, mentem avocat, atque ab audiendis attente atque obsequenter Divinis monitis ac praeceptis avertit. Aliam item supellectilem in templorum usum comparari deinceps non liceat, quam quae necessaria omnino fuerit; neque ad aras plures ardeant cereae faces, quam ad summum sex; octo autem tantum, cum Sanctissimum exponitur Sacramentum, in septem vero, ut aiunt, et in quadraginta horarum precationibus duodecim; qui sane numerus quavis de caussa numquam augeatur. Ecclesiarum vero reditus, ac bona custodienda sunt, veluti pauperum patrimonium, ac miserorum peculium, quo in humanis necessitatibus possit confugi. Quamobrem in singulis Decuriis, aut Decanatibus quoddam veluti Aerarium curabitur quamprimum instituendum, quod religiose habeatur veluti sanctuarium charitatis in proximos, quae Deo est sane gratissima; quod sit aegris solamen, languidis senibus levamen, prolapsis citra culpam in egestatem colonis subsidium, unde habeant, et quo recte instituantur orbati parentibus pueri, et rustici

ado-

adolescentes, quo edoceantur, quod demum omnium sit hi iusmodi pietatis operum veluti centrum ac fundamentum.

17. *Euntes autem discite* (et verbis docete simul, e factis) *quid est: misericordiam volo, et non sacrificium et scientiam Dei plusquam holocausta* (Osee c. 6. 6. e Matth. cap. 9. 13.) *Corporalis exercitatio ad modicum uti lis est; pietas autem* (vita nempe in mutui amoris, ac benevolentiae significatione acta secundum Deum) *ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae* (Timoth. 4. 8.). Quodvis enim externum opus, nisi ex Deo, atque ex proximi amore oriatur, suamque inde vim omnem, et laudem accipiat, mera hypocrisis est, et umbratilis virtutis species, atque insanam quamdam, ac stultam effusionem unice ostentat. Quidquid benevolentiae obstat, eiusque exercendae opportunitates viasque tollit, aut minuit, habendum id est coërcendumque, veluti noxium, et superstitionibus atque erroribus fovendis comparatum; et idcirco ad maiora ac praestantiora convertendum.

18. *Aemulamini autem charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*; Dei nimirum scientiam misericordiamque (*Osee 6. 6.*). Vos autem oramus in primis, atque obsecramus, ut in sacris, quas ad populum habetis, concionibus omnia quam maxima veritate, perspicuitate, diligentia, et gravitate explicetis. Recte enim sentire de Deo, ac de illius, ut ita dicam, necessitudinis vinculo, quo ipsi caeterisque creatis rebus arctissime iungimur, et duplicem hanc coniunctionem ac necessitudinem, quatenus ad humanae vitae rationem spectat, assidue secum animo reputare, hoc firmissimum est fundamentum, sine quo neque recta de Religione doctrina, neque Christianae vitae ratio, vera neque virtus, neque pietas esse ullo pacto potest. Omnem quidem excedere videtur fidem, quantum vigeant adhuc apud vulgus ineptissimae Iudaeorum, Ethnicorumque de Deo opiniones, quae a recta ratione penitus abhorrent, ac demonstratae nobis divinitus veritatis maiestatem imminuunt. Ille error est sane omnium gravissimus, in quo versantur, qui secum ipsi animo dicunt: *Non est Deus* (Psal. 151.). Stulta tamen, ac ridicula dubitantium de omnibus Scepticorum, atque eorum, qui omnem sine ullo discrimine religionem probant, doctrina; impudens atque irrequietum scelus; superstitio, et fanaticus quidam furor; nullus amor, immo potius odium in proximos, intoleran-

tia,

ſtia, atque alios insectandi ardor; eorum denique, qui Deum factis negant, impietas (*Timoth.* 1. 16.) ubinam gentium facilius proveniunt, altioresque radices agunt, ubinam propagantur celerius, quam penes illos, qui verum Deum, quo nihil cogitari, nec esse perfectius potest, prorsus ignorant? (*Act. Apost.* 17. 23.) Ubi detenta plurimis aliis minoris momenti rebus multitudo in ignorantia, atque in ea persuasione relinquitur, sanctitatem in exercendis accurate quibusdam externis pietatis operibus potissimum esse positam, maximumque admitti scelus, si ea vel minimum negligantur? Ubi leviter atque indiligenter monetur populus, quam arctissimam habeat cum Deo, aliisque creatis rebus coniunctionem? Ubi numquam ei, uti par est, revocantur in mentem, quae ex temperantia, ex charitate in proximos, ex eo, quod ad immortalis vitae felicitatem divinitus vocati sumus, ducuntur officia? Vae iis, qui suscepto populos instituendi edocendique munere, Dei opus negligenter faciunt! Quam severum instituetur de ipsis iudicium! Opima terrae ipsi nunc comedunt; at non inde exient, donec novissimum quadrantem reddant (*Iac.* 3. 1. *Gen.* 48. 10. *Matth.* 5. 26.). Quicumque accepto ab Ecclesia abutuntur stipendio, Scribis, et Pharisaeis sunt omnino persimiles, qui mendaciis, et fraudibus, atque ipso Iesu Christi sanguine foenerabantur. His utitur verbis laudatus nuper Hieronymus Comment. in Matth.

19. Numquam sine gravi dolore ea mentem subit cogitatio, quam multis diversisque modis Sanctissimo Altaris mysterio complures abutantur, ut pessimi exempli mercaturam inde faciant; quot Sacerdotes turpissima lucri cupiditate ducti audeant ad augustissimum Sacerdotii munus obeundum accedere; quot otiose viventes quartam vix horae partem, perinde ac si aliquod artificium exerceant, in celebrando Sacro insumant in eum unice finem, ut percepta ex confecto Sacro pecunia adeo perperam utantur, ut reliquum omnem diem in otio miserrime terant. Post multas adhibitas a nobis saepe ac studiose curas abiit tandem innumera illa diffluentium otio Clericorum huic principi nostrae ditionis urbi adeo gravis multitudo. Nostrum hoc Seminarium unica deinceps erit in Archiepiscopali Salisburgensi Dioecesi Parochorum schola; nec quisquam nisi complures annos probatus, ac necessariam adeptus scientiam ad sublimiores Sacerdotii gradus provehetur. Nullum patiemur otio-

otiosum, ac sibi unice vivere. Nostros itaque Decuriones, Curiones, ac Vicarios hortamur, ut iunioribus Parochis optimo exemplo praeeant, ac praecipimus, ut ipsi per se edocendi populi munere fungantur, Sacramenta administrent, quemadmodum hoc ipso saeculo fieri consueverat, cum minor erat nimium deinceps auctus Sacerdotum numerus. Quae sane munera citra gravem necessitatem iunioribus Sacerdotibus, qui praeter numerum sunt, adiutoribusque committere nequaquam liceat, ita ut caeteri ad illud unice vocatos se credant, ut bona administrent, iisque post celebratam missam percommode fruantur. Praestat quidem in omni re, atque utilior est primi in ministerio, quam suffecti in eius locum mercenarii opera (*Ioann.* 10. 12.). Ita in nostra Archiepiscopali Dioecesi decrescet in dies inutilium Sacerdotum numerus; qui vero sunt tanto muneri pares, congruum facilius obtinebunt stipendium, ac paulatim tolletur illa stipem singulis ferme faciundis sacris a populo non sine magno eiusdem incommodo colligendi exigendique consuetudo. Nullum ita in faciendo Sacro lucrum spectabitur; et quas altaris ministri pro vivis, ac vita functis fidelibus Deo adhibent precationes (quod quidem inter gravissima est eorum officia) nulla foedatae lucri suaeque utilitatis cupiditate ad caelum ascendent; exhausta hactenus missarum legatis amplissima patrimonia; tot bona adeo perperam, atque immoderate a nonnullis habita, ut aditus in caelum sibi patefaciendi causa ea secum vel in vitam futuram ferre quodammodo concupiscant; melius deinceps in humanos usus convertentur. Atque hinc plurima quidem profluent in vivos Christi fideles commoda; hinc efficax proximi amor mirum in modum ubique florebit in dies. Itaque si nomini vestro, gravissimoque muneri vultis convenienter vivere, atque ut eos decet, qui Iesu Christi vices gerunt, quid simplices rudesque vestrae Paroeciae homines a vobis quaerant, sinceris animis audite. Ostende nobis Patrem Ioan. 14. 8. 9. Ostendite ergo eis Patrem, ac docete, Deum esse rerum omnium opificem, hanc rerum universitatem maxima sapientia, ac providentia ab eo regi; ipsum esse omnium Dominum, infinite magnum, beatissimum, nulliusque rei indigentem; eius amorem, ac providentiam ad omnia pertinere; nunquam in benefaciendo deficere; amantissimi Patris instar suos ingenti amore amplecti liberos, ac sedulo eorum saluti, atque incolumitati

pro-

spicere; tum esse totius, qua latissime patet, naturae auctorem, fontemque inexhaustum bonorum omnium, quibus in praesens utimur, et quae speramus in posterum, nostrae sortis moderatorem, atque arbitrum, aeternitatis regem; ac Dominum; natura immensum, perfectissimum, immutabilem; summo prosequentem amore bonum, immo ipsum summum bonum; mox eos ita adloquentes dicite: en hic vester Deus est; nihil vos prae illo estis, magnum tamen aliquid estis, tum eius bonitate ac beneficio, tum quod ad magna vocati estis, ac prae caeteris creatis rebus ratione, libertate, ac sublimiori quadam mente, atque intelligentia donati, quibus rebus fit, ut in vobis ipsa eius imago resplendeat, atque universas inter creatas res teneatis principatum. Quo melius summas Dei virtutes, iucundissimasque dotes edocti a vobis cognoscent, eo facilius, ac dignius in illius contemplatione defixi haerebunt, eiusque augustam intimo animi cultu, ac demissione maiestatem venerantes, infinitasque eius perfectiones suspicientes ipsum adorabunt; sancte alacriterque ei laudem, et honorem tribuent, et in eius laudibus socias sibi reliquas res creatas adsciscent. Id hoc pacto assequemini, ut praestantissima contemplantes in mundi creatione Dei opera, atque innumera, quibus nos singulis vitae momentis cumulat, grati recolentes beneficia, hos in se excitent verae pietatis ac religionis sensus, nisi in tanta rerum ignoratione versentur, ut ipsis belluis non valde praestent; neque Deum se colere existiment corporis exercitationibus, quae ex Apostolo ad modicum utiles sunt, aut muneribus lapides ac parietes dumtaxat ornantibus, vel ea demum offerendo, quae statim evanescunt, sed maioribus grati animi significationibus suam charitatem nullo non tempore exornent, Dei opem, re aliqua suscepta, implorent, eiusque exitum sapientissimae, ac munificentissimae illius providentiae fidentes permittant, atque ita toto animo, totis viribus prae caeteris quibusque rebus eum diligant, illi se totos devoveant, eiusque perspectam habentes voluntatem, tunc se fore beatos putent, cum illi firmissime adhaerebunt, et quid ipse velit, clarius in dies cognoscent, atque ut in omnibus, quae sentiunt, vel cogitant, fiant ipsi persimiles, totis viribus adlaborabunt ex voluntatum namque, consiliorumque similitudine verus amor existit, (*Matth.* 5. 48.) atque ita demum *in spiritu ac veritate* ipsam adorent (*Ioann.* 4. 23. 24)

20.

20. En via excellentior pastoralibus vestris terenda laboribus. Numquam vobis ante, in Domino gloriari licebit, quam vestra ipsa reddat conscientia testimonium, vestris vos muneribus satis fecisse, atque in iis obeundis vires omnes, omnemque curam adhibuisse. Huic fundamento pergite saperstruere spirituale aedificium, ut in populis vestrae fidei creditis Christi corpus aedificetur, *donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (Ep. ad Eph. 4. 12. 13.). Absit a vestris exhortationibus quaevis vanae doctrinae ostentatio prurientis auribus, et quae a veritate aberrans ad fabulas convertitur (2. ad Timoth. 4. 4.). Quaelibet etiam cupiditatis, suique commodi species a nobis religiose vitanda, ne iure etiam de vobis existimetur dictum, quod queritur vehementer Deus Osee 4. 8. Luc. 20. 46. 47. 1. ad Timoth. 4. 1, ibid. c. 6. 3.--9. (*) 2. ad Timoth. 3. 3. - 5.

21. Cavete etiam diligentissime, ne dum publice sermonem habetis ad populum, aliquid proferatur a vobis, quod severissimum iudicium sustinere non possit. Turpissimum enim Ethnicorum Sacerdotum artificium fuit, ut per fabulas, et commenta maiori superstitione imbuerent vulgi animos, atque ex densissimis, quibus obruebatur, ignorantiae tenebris faciliorem occasionem callide arriperent opes, commoditates, atque honores sibi comparandi; contra vero cognitionem iudiciumque non reformidat, aut vetat, sed potius exigit Christiana religio. Ubi enim certum exploratumque est Deum hac, aut illa ratione esse locutum, suamque hominibus aperuisse mentem, nullus amplius dubitandi locus relinquitur. Expendendum tamen, utrum in sacris literis doctrina aliqua, aut lex, vel sententia contineatur, Cuius quidem rei ea Christiano Philosopho exquirere argumenta licet,

(* *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones, et pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quaestum esse pietatem.*

licet, quibus penitus persuadeatur. Innumeris profecto hominum millibus providentissimo Dei consilio ea evenit conditio, ut in lucem editi cum nutricis lacte sugerent verae religionis principia, ac procul ab occasione, et periculo abessent, ne his sollicitudinis, et angoris plenis dubitationibus aditum in mentem darent. Si tamen vel sua, vel aliorum culpa, aut alio aliquo casu vacillare pristina illa fides incipiat, qua integra antea, ac firma tenebantur insculpta animis religionis praecepta, tunc oritur cuique diligenter curandi necessitas, ut certa omnia, ac persuasa penitus habeat, et quieto, omnisque vacuo perturbationis animo sit. Cum vero aut in locis finitimis, aut etiam inter nos homines existunt diversis de religione doctrinis imbuti, et quotidie cum iis necessario vivendum est; cum, qui veteri antea doctrinae inhaerebant, peregrinis opinionibus praebere aures incipiunt, atque ingens pudor, ac metus eos incessit, ne decipiantur, dum quaerentibus, in quo potissimum eorum spes posita sit, respondere nequeunt: tum populorum magistri, ac doctores auscultare maxime debent D. Paulo 2. ad Timoth. c. 4. 2. ita monenti: praedica verbum, insta opportune, importune; tunc ipsis omni studio curandum, ut suas oves in fide confirment, atque omnem ab iis dubitationem auferant; quod ut efficiant, haud spinosis, atque implexis Theologorum disputationibus easdem implicabunt, sed divinitus tradita ab iis, quae excogitavit, atque addidit humana ratio, ab opinionibus, atque hypothesibus dogmata, quae sunt prima ac praecipua ab iis, quae postmodum accesserunt, necessaria atque ad omnes spectantia ab iis, sine quibus vera potest esse religio, et quae ad aliquos tantum pertinent, divina demum a disciplinae regulis praecepta secernent; atque ita Christianae religionis dogmata explicantes, ardentiori in dies eiusdem religionis amore incendent populorum animos, ita ut in lege eius sit eorum voluntas, atque eam diu noctuque meditentur (Psal. 1. 2.) Ii demum sermones vestri sint, ut docti viri eos attente, et cum admiratione audiant; rudes vero ignarique eorumdem suavitate, veritate, ac vi adeo commoveantur, ut domum reversi, quaecumque audierint, suae familiae referre summopere gaudeant.

42. Has inter curas nihil iucundius doctis, suique muneris exequendi studiosis Parochis erit, quam efficere, ut in sua Paroecia communior, et familiarior in dies fiat Sa-

crae

rae Scripturae, novique praesertim Testamenti lectio, (quod traditam divinitus doctrinam, ac legem continet, atque omnem adhibere curam, ut et intelligi rectius, ac perlegi utilius possit. Quod anno superiore magni Principis opera huius rei causa effectum est, pluribus iam abhinc annis ipsi nos perfeceramus; ut enim Christianus populus perutili sacrarum litterarum lectione uti facillime posset, novi Testamenti libros ex optimis eorumdem versionibus in lucem edendos mandavimus. Quod sane consilium eo praesertim suscepimus, quod ad pretiosissimum hunc, atque inexhaustum fontem, ex quo Christiana omnis sapientia, optima morum doctrina, firmissima pietas et consolatio profluit, nondum satis expeditam patere viam, persuasum penitus nobis erat. Illud ergo futurum speravimus, ut vulgata latius Sacrorum Librorum lectione, ab ignaris hominibus res divinae clarius perciperentur, falsae, quibus imbuti erant, opiniones, erroresque deponerentur, atque iidem se ad veram accipiendam doctrinam magis dociles, et ad Christianas, ac civiles excolendas virtutes promptiores praeberent. Quamobrem humanus, et civilis vitae cultus eo magis ubique augeri mihi videbatur in dies, quo ad plures perveniebat Sacrorum Librorum cognitio. Cum vero rudes, et ignari homines auctoritate magis, quam ratione moveantur, nihil eos ad recte facta poterit validius, quam auctoritas, et maiestas divini numinis excitare. Diutinis gravibusque morbis confecti, curis anxii, ipsi denique morti proximi nulla alia re maiorem capere quietem, et solamen possunt, quam ex maxime obviis Sacrae Scripturae sententiis antea bene perceptis, atque eorum in mentem tunc potissimum revocandis, cum gravi animi moerore fracti tabescunt. Nihil ergo divino huiusmodi libro charius, nihil sit vobis antiquius; hunc pluris habeto, quam universas terrae opes; hinc quotidie hauriatis, quidquid ad vestrum instruendum, solandum, confirmandumque gregem vobis necesse est.

23. Plurima in eo excelsa, et gravissima vobis legentibus occurrent tum ad pietatem colendam, tum ad obeundum fideliter demandati officii ministerium incitamenta; clarissima, atque eximia reperietis vobis ipsis, qui ad animarum gerendam curam vocati estis, et quibus Dei honor cultusque cordi maxime esse debet, apprime accommodata exempla; plurima item singularis in vestrum gregem amoris, suavitatis, mansuetudinis, et magnanimi suarum comoditatum

con-

contemptus, nec non in commonendo arguendoque patientiae et doctrinae (2. ad Timoth. 4. 2.), tum constantiae, atque animi divinae voluntati sese in omnibus subiicientis, semetipsum abnegantis, atque in adhibendis Deo precibus ferventissimi. Nostris itaque Decurionibus mandamus, ut in suis perlustrandis regionibus diligenter inquirant, an quisque Parochorum Divinam Scripturam germanice versam (quod quidem dubitare nolumus) tum aliquem eiusdem interpretem, Tirinum ex. g. Menochium, aut Calmetum sibi comparaverit, ac teneat; tum praeterea, utrum huiusmodi libri diurna nocturnaque manu ab iisdem versentur, ad nos deinde referant.

24. Praeter Sacros Divinae Scripturae libros ad pietatem nutriendam, atque augendam ita publici cultus maiestatem et sanctitatem, ut ea populus vehementer commoveatur, optima patrio sermone conscripta cantica plurimum etiam valent. Fuit olim populo in publicis privatisque precationibus futiles quasdam, quibus nulla subiecta sententia erat, cantiones recitandi canendique libertas, ipsis maxime conniventibus Parochis; neque enim quales essent, satis cognitum erat. Non ita pridem indocti quidam homines, et vano incensi religionis studio, veluti a Catholica fide abhorrentem notabant consuetudinem inducendi in populum confecta germanice cantica ad rectam tum privatim tum publice pietatem excitandam. Illos quidem penitus latet, populi preces hymnis una simul recitatis persolutas, uti apud D. Matt. c. 26. 30. et apud D. Marc. c. 14. 26. scriptum legimus, fuisse ab eodem Christo Domino consecratas; tum D. Paulum hortari Ephesios c. 5. 9. ut Spiritu Sancto repleti sibimetipsis loquerentur in Psalmis, et Canticis spiritualibus cantantes et psallentes Domino in cordibus suis; atque ita pariter ab eodem Colossenses moneri c. 3. 16. „ Docentes, et commonen„ tes vosmetipsos Psalmis, hymnis, et canticis in gratia can„ tantes in cordibus vestris Deo „. Illud fortasse etiam ignorant, allato Iesu Christi exemplo niti veterem in Ecclesia Deum una simul laudandi morem, atque ut Hilarius (*), Chrysostomus

(*) Hilar. in Psal. 65. *Audiat orantis populi consistentisque extra Ecclesiam voces, spectet celebres Hymnorum sonitus.*

mus (*), Ambrosius (**), aliique testantur, quotquot sacris aderant, viros simul ac mulieres, senes ac pueros concordi, atque elata voce Dei laudes concinuisse.

25. Neque pro exiguo nostrorum temporum bono habendum est, quod in catholicis omnibus Germaniae provinciis perutile exarserit optimos sacrosque hymnos colligendi studium, quibus populus in publicis privatisque religionis officiis peragendis utatur. Nihil tamen de aliarum huiusmodi collectionum laude detractum volumus, dum eam potissimam proponendam censemus, quae a nobis XVII. Kal. Sept. ann. 1776. probata fuit, quaeque inscribitur: Sacer cantus ad divinum cultum in Catholica Romana Ecclesia. Habitis interim in hac urbe huiusce rei experimentis adeo sum delectatus, ut nihil me a suscepto in universam hanc Archiepiscopalem Salisburgensem Dioecesim huiusmodi inducendi morem consilio deterrere umquam possit.

26. Mandamus ergo, ac praecipimus, ut statim ab initio proxime insequentis anni 1783. in omnibus Dioecesis nostrae Ecclesiis, in quibus cantu singulis diebus sacra non celebrantur officia (atque adeo Cathedralibus, et Regularium Ecclesiis tantum exceptis) sive pro Defunctis officia, ac preces persolvantur, sive cantentur missae, aut litaniae, tum ante, ac post vel sacras conciones, vel supplicationes vel scholas, et in quavis alia temporis opportunitate, memorati superius canantur hymni, exclusa alia quavis musica, vel cantu, ita ut si contigerit, ut ad eas Ecclesias aliquando me conferam, nullos praeter hos, qui in dicta superius collectione habentur, modos audiam. In eum finem

a) Has Pastorales literas Parochis, Concionatoribus, Vica-

(*) Chrysost. Hom. 36. in 1. ad Cor. *Olim omnes in unum congregati communi voce cantabant, quod et nos hodie facimus.* Item hom. in Psal. 145. *Feminae, et viri, senes, et iuvenes, distincti sunt et sexu, et aetate, non tamen distincti sunt ratione concentus: uniuscuiusque enim vocem spiritus temperans unam ex omnibus conficit melodiam.*

(**) Ambros. hexamer. lib. 3. c. 5. *Responsoriis Psalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum consonans undarum fragor resultat.*

cariis, et Coadiutoribus Decani quamprimum distribuant, atque omnes et singulos vehementer horrentur, ut omnia perficiant diligentissime. Proximo ineunte anno, ac deinceps quovis trium mensium spatio, antequam suam *anguriatem* relationem mittant, haec scripto tradita a Parochis quaerant. Primo, an, et quomodo ipsi perfecerint, quaecumque a nobis in maiorem unice Dei gloriam nostraeque sanctissimae Religionis incrementum sunt constituta. Deinde ubi ea nondum exequuti fuerint, qua de causa id factum sit, explicent, tum quo pacto huic rei occurri, ac tam salutaria perfici consilia queant, proponant. Ipsi etiam praeterea dicant, quod sentiunt; quaecumque habent cognita et explorata, referre non negligant, atque omnia ita scripto relata ad nostrum Consilium mittant, unde ad nos etiam perveniant.

b) Quae quidem mandata ex omnibus Archiepiscopalis nostrae Dioecesis suggestis fuse ac dilucide explicanda, ac proponenda sunt; atque ut mentem nostram populus facilius assequatur, ter continenter ad eum habebitur concio in illa D. Pauli verba, quae proposito apprime conducunt, quaeque habentur in Epistola ad Coloss. c. 3. 14. – 16.

c) Parochi, Vicarii, aliique gerentes animarum curam, quam maximo possunt studio curabunt, ut quotquot in praesens sunt musici, sese in nova hac canendi ratione sedulo exerceant; hanc statim ac bene didicerint, Ecclesiae cantores, atque adolescentes doceant, ut prius etiam quam proximus annus ineat, sacrarum huiusmodi cantionum usus possit in Ecclesias induci.

d) Cum proximo Septembri mense habeat quoque finem colligendae, quo tempore Christiana doctrina traditur, eleemosynae consuetudo, tum illam emendicare in posterum alia de causa non licebit, quam ad adiuvandum edocendumque populum, ac praesertim ad novum comparandum sacrorum carminum librum, qui ut quam minimi veneat, per nostrum Consilium diligentius adhuc cavebitur.

e) Ea quoque minuere stipendia non liceat, quae habendae in Ecclesiis musicae inserviunt, sed potius omni studio curandum erit, ut ipsimet musici memoratos hymnos omnibus ante dictis temporibus canant, et iubentibus id Parochis Ecclesiae cantores atque adolescentes discipulos instruere non graventur.

27. Quam laudanda nobis sobria illa videtur musica, quae idoneo et tempore, et loco adhibetur, eo magis fa-

 teri

teri cogimur plurima irrepsisse in Ecclesiasticos modos, et concentus a religionis maiestate divinoque cultu penitus abhorrentia, eaque multis in locis plurimum adhuc vigere. Iure quidem nostra hac aetate iterandae videntur D. Chrysostomi querimoniae adversus Ecclesiasticae musicae corruptores. „ Miserum, et aerumnosum te! quem par erat „ pertimescentem, et trepidantem angelicas illas laudes cantillare, et quidem cum timore Conditori confessionem „ laudis offerre, et hac interposita veniam tuorum erratorum comprecari. Tu vero mimos, et saltatores hoc in „ loco imitaris, dum manus indecore sursum iactitas, et „ toto corpore exsultas, in gyrum usque te inflectis. Cur „ autem neque metuis, neque exhorrescis, cum tanta oracula audacter prophanes? An non tibi in mentem venit „ ipsum Dominum, qui tamen a nemine conspiciatur, in „ eo loco praesentem esse, et singulorum gestum, et morem dimetiri, et quidem conscientiam ipsam observare, et „ intueri? An non cogitas in orbem huius mensae tremendae Angelos consistere, eique cum timore inservire? Verum tu horum nihil intelligis, theatricis et cantilenis, „ et spectaculis dementatus. Hincque adeo quae illis in „ locis fiunt, cum Ecclesiae typis et figuris confundis atque „ permisces: hinc barbaris et inconditis vociferationibus „ animum tuum immoderatum et immodestum publice prodis. Quo igitur modo, quomodo, inquam, tuorum peccatorum veniam impetrabis? Quomodo Dominum ad misericordiam inflectes? Quam contemptim preces tuas offeres? „ *Miserere mei Deus*, ais, et animum a misericordia alienum palam prae te fers. *Serva me*, exclamas, et te ad „ figuram quamdam corporis, quae indigna sit salute, conformas. Quidam igitur manus supplices componunt, subindeque exiliunt, et sine omni decoro hinc inde discurrunt, „ et quidem cum vociferatione vehementi, et violenta spiritus impulsione, ut inde vox obscura edatur necesse sit. „ Nonne illud quidem meretricum in triviis, hoc vero histrionum in theatris est? Quae igitur haec audacia est, „ diabolica ludibria cum angelica divinarum laudum celebratione permiscere?

Accommodate etiam ad nostram aetatem inquit Hieronymus, „ Deo non voce, sed corde cantandum; nec in „ tragoedorum modum guttur, et fauces dulci modulamine „ colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur,

„ et cantica, sed in timore, in opere, in scientia Scriptu„ rarum. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, „ sed verba placeant, quae leguntur, ut spiritus malus, qui „ erat in Saule, eiiciatur ab his, qui similiter ab eo possi„ dentur, et non introducatur in eos, qui de Dei domo „ scenam fecere populorum.

Accommodari etiam nostris hisce temporibus possunt Isidori Pelusiotae verba I. lib. Ep. 90. „ importunas in Ec„ clesiis loquacitates Domini Apostoli coercere ac compri„ mere studentes, modestiaeque atque gravitatis magistros „ sese nobis praebentes, ut mulieres in ipsis canerent, sa„ pienti consilio permiserunt. Verum ut omnia divina do„ cumenta in contrarium versa sunt, hoc quoque quampluri„ mis in dissolutionem, ac peccati occasionem cessit. Si„ quidem ex divinis hymnis non ingenti compunctione af„ ficiuntur, verum cantus suavitate ad irritandas, et exsti„ mulandas libidines abutentes nihilo eam scenicis cantilenis „ praestantiorem esse existimant „. Ea praetermittimus, quae Polydorus Virgilius de rer. inv. lib. VI. c. 2. quae Maldonatus de Sept. Sacramen. Tom. II., quae Durandus de ritibus lib. I. c. 21., quae demum pari vi, ac Religionis studio alii complures scripserunt.

28. Quod si suavis, et constans affabre temperata sonorum vocumque varietate concentus tantam doctissimorum hominum reprehensionem subiit, tamquam a bonis moribus, et publici cultus ratione abhorrens; quid de musica illa dicendum, quae in urbanis nostris ruralibusque templis auditur, quaeque ingratissimis quibusdam clamoribus pias ex animo cogitationes abigit, abiectissimoque murmure inertem mentis a rebus sacris avocationem fovet?

29. Optimi populares hymni remotissimis a nostra aetate temporibus magno apud maiores nostros in pretio habiti sunt, emolliendisque moribus non parum contulerunt; morum namque praecepta, leges, Dei laudes, gratique in eum animi significationes, res praeclare gestae, et clarissima maiorum exempla iis tradebantur carminibus, quae in religiosis ipsorum conventibus laetisque aliis coetibus cantitata mentem animumque erigebant. Celeberrima adhuc sunt Bardorum carmina, quibus et ad praelia alacriores, et vel acerrimis formidandi hostibus fiebant. Edocendi carminibus populum, ac Dei virtutisque amorem in eo excitandi consuetudo ipsius hominum generis ferme attingit originem;

 an-

antiquissimus enim historiae scriptor Moses, et qui Iobi librum conscripsit, plurima veterum hymnorum loca proferunt.

30. His aliisque Pastoralibus monitis satis demonstrasse me arbitror, quantum mihi cordi sit, in id vos sedulo incumbere, ut in Archiepiscopali hac Dioecesi Religionis principia explicanda et servanda morum disciplinae praecepta curetis. Pro certo enim habemus, in concreditum nostrae fidei populum bona omnia, ac prosperas cuiusque generis res in posterum profecturas (*Sap. c.* 7. *v.* 1[1]. *Matth.* 6. 31.)

31. Suavius ac melius fortasse habere se poterit in rudi ignaroque populo indoctus tantum, negligens, et cupidus pecuniae Parochus: sapiens vero, ac sua fideliter officia retinens, atque ab omni cupiditate alienus, ipso edoctus rerum usu plane iam intelliget, humaniore cultu, candidiore ingenio, bonis moribus, disciplina, omnibus denique Christianis civilibusque excultis rite virtutibus fieri, ut ex familiis, civitatibus, ac provinciis aliae aliis antecellant. Quae sane virtutes licet quadam temporum felicitate alicubi esse aliquando possint, apud eos tamen potissimum florere animadvertimus, qui moralium facultatum usu maxime pollent.

32. Iniusta aeque, ac noxia, suisque unice fautoribus, nihil vero honestissimo colonorum coetui, atque ordini iniuriosa illorum opinio est, qui sentiunt supervacaneum prorsus iisdem colonis esse animi cultum, perspicax ingenium, rectumque iudicium; eosque volunt naturae habitum duntaxat in agendo sequi, et superiorum temporum consuetudines, atque instituta temere imitari. Si animadvertere tantisper lubeat, cum quibus communionem, et quoddam veluti commercium colonus habeat, et quanta in eo facta sit mutatio rerum; ac si considerare velimus, quanto sibi, Domino, Principi, reique publicae detrimento esse possit duratus laboribus agricola, qui nihil intelligat, nihil videat, inhumano, pervicaci, maloque animo sit; intelligemus profecto, quam ex humanae societatis usu sit eius intelligentiam excutere, atque explicare. De industria enim, ac sedula in rebus administrandis agricolae cura non ipse solum, sed caeteri omnes vivunt. Pleraque is, et maiora fert societatis onera, summaque prudentia indiget, qua subitos quosdam, et fortuitos eventus, qui extremam illi perniciem importare possent, declinare, eosque interdum in suam utilita-

tem

tem sapienter convertere valcat. Quid de eo fieret, nisi diversam soli nosset naturam, temporum mutationes praesentiret, calamitates a rebus domesticis ac pecoribus propulsandi loco eas stultis consiliis, ac superstitiosis quibusdam vulgi religionibus augeret? Latere ipsum non debet, quemadmodum fugiat in contrahendo fraudem, pravas opiniones, consuetudinesque reiiciat, utatur solerter temporibus, ac fidus Principi subditus, patiens aliorum civis, quietus vicinus iniurias defendat, vitet omnino lites, quae rem familiarem perdunt, improbos monitores non audiat, suaeque cumprimis familiae curam gerat. Quo vero labore, atque opere uxorem, liberos, mercenarios quibusvis anni temporibus detineat, facile inveniet; otium, funestissimam illam vitiorum, atque inopiae causam, abiget, atque aliis exemplo et incitamento erit ad laborem. Infortunia, morbos suorum, mortem, et publicas calamitates magno fortique animo feret, alios confirmabit, sine ulla temporis et pecuniae iactura decore vivet, intelliget demum, quemadmodum vitae tempore recte uti, labores, et incommoda honestis lenire solatiis, omnia divinae bonitati referre accepta, Dei voluntatem in malis omnibus, inter effusos grandinis nimbos, ac saevientibus contagiis suspicere ac venerari possit, nihil ab infernis potestatibus metuens, nihil a veneficis, nihil a sagis, lemuribusque; quae quidem credulos vulgi animos vehementer perturbant.

33. Verum ne vanis stultisque opinionibus, ne fraudulentis vagisque hominibus, ne medicorum, aut pseudo-clericorum vulgo imponentium nugis decipiatur, sciens, providus, promptus, alacer, et multa tum Christiana, tum civili virtute sit munitus, oportet. Innumera existunt damna atque incommoda ex falsis atque ineptis narrationibus, ex anilibus, quae de larvis, et veneficis garriuntur, fabellis, ex pravis compluribus consuetudinibus, quas inter eam reponimus potissimum, quae hactenus apud nos viguit, ad sagas fugandas, et veneficia labefactanda in D. Iohannis pervigilio a vespere usque ad quartam matutinam horam sacra aera pulsandi; quod ne deinceps usquam fiat, omnino vetamus.

34. Sibi vero traditus ac relictus agricola, tot fractus laboribus, qui hoc vitae genus necessario consequuntur, satis animi, ac virium non habet, ut huiusmodi virtutis gradum attingere, ac tanta audere conarique possit. Quis igi-

tur praeter Parochum illi opem feret? quis animum viresque sufficiet, voluntatem excitabit, faciliorem expeditioremque sternet viam? Neque enim Evangelio tantum inservire, ac spirituale Iesu Christi regnum latius proferre debet Parochus; sed si rectius officio suo satisfacere velit, omni studio curandum ipsi est, ut Christifideles suae fidei creditos erudiat, eorumque mentes animosque perficiat. Is enim in regione haud angustis circumscripta finibus unus plerumque est, qui recte cogitare, ac rectius uti ratione possit. Eum omnes veluti oraculum consultum accedunt, suum in eo ducem errantes, labentes praesidium, peccantes monitorem, suum omnes amicum, doctorem, consiliarium quaerunt; magnam denique scientiae, probitatis penes suum populum opinionem habet; idcirco enim ad se arbitrantur missum, ut praesenti etiam eorum felicitati consulat. Quod si de eorum bono se proximo sollicitum praebeat, et cuiusque noscat ingenium, omnium sibi devincire animos, et quaecumque vult, perficere facile poterit, si suo aliis exemplo praeeat, eosque confirmet, atque excitet.

35. Quod si terrena, ac domestica negotia ratione tractanda sunt populo, eo magis rationem sequi ducem debet in iis, quae ad religionem pertinent, ac diligenter inquirere, quibus eadem religio fundamentis nitatur. Id enim maxime religio exigit, ut cognoscatur. Quo enim luculentius veriusque dignoscitur, hoc religio ipsa ardentior, hoc clarior, hoc denique cuiusque recte facti uberior fit.

36. Religio autem atque ipsamet conscientia suadet in primis, sua cuique ratione ingenue, et considerate utendum, quo saluberrimas veritates, et vitae officia cognoscat. Qui enim id inquirere negligit, ut vulgo fit, peccatum admittit, quod ignoratur quidem, sed haud propterea minus habet periculi, neque minus late patet, ita ut ex huiusmodi negligentia uberrimo quodam veluti fonte plurima alia peccata profluant, vel ea saltem iisdem peccatis rationem quamdam, atque excusationem obtendat. Hinc quovis tempore maximi interesse vere duxit Ecclesia, ut publicus cultus doceat simul ac permoveat fidelium animos, ac veluti necessariam eiusdem partem esse censuit, divinae scientiae dogmata, hymnos, et non tantum incruentum Missae sacrificium, sed precationes omnes, quibus mens ad Deum erigitur, dilucide, atque utiliter explicare. Christiano namque populo sensuum illecebris assidue avocato, diversisque ne-

go-

gotiis tum praesentem hanc vitam, tum animi salutem spectantibus detento, numquam satis revocari in mentem possunt, ita ut ea semper, ac firmiter teneat religionis dogmata ac praecepta, neque effici, ut mortalium mentes, cupiditatibus excaecatae, atque in ea quotidie scelera prolabentes hanc satis perspectam, atque inditam penitus habeant veritatem, rationabile obsequium (*) a naturis ratione utentibus Deum exigere; aliter eum non posse coli, nisi ea fiducia, quae filios erga Patrem decet, nisi eius leges accurate serventur, eius voluntati obsequamur, eum veluti sapientissimum, ac beneficentissimum omnium, quae condidit, Patrem habeamus ac veneremur.

37. Ostendite populis, uti plerique animum numquam convertant ad contemplanda assidua divinae sapientiae, ac bonitatis argumenta, quae passim in tota hac rerum universitate, et singulis humanae vitae momentis mirifice emicant. Ita enim gravior sanctiorque adhibebitur supremo Numini cultus, quam qui religiosa pompa, profano vocum sonorumque concentu, tot futilibus pietatis exercitationibus, aulaeis ac vestibus continetur. His veluti gradibus rudes etiam, atque imperitos adducetis ad Deum, atque ita reddetis affectos, ut sublimissima dogmata grato animo accipiant, et quae iisdem inest bonitas, praestantia, ac divinitas, cum ingenti voluptate gaudioque dignoscant.

38. Si vero provecti aetate homines quorumdam populi inscitia callide utentium sermonibus corrupti ita pervicaces, atque obfirmatos se praebent, ut irrita prorsus illorum studia fiant, qui iisdem erudiendis molliendisque ipsorum moribus adlaborant: adolescentes adsunt, qui ad Parochi monita, ac disciplinam satis dociles erunt, nisi eos edocendi voluntas, et ratio ipsi Parocho desit: hi de Religione recte sentire assuescent. Quod si Parochus huiusmodi adolescentulos sibi ab Ecclesia, et a Principe creditos paterna complectatur benevolentia; si patrio eos sermone benigne alloquens, quemadmodum ad eorum captum accommodare se possit, non ignoret; si recta, atque honesta in eos lenitate utatur, eius certe studio invicem respondebunt. Quis enim eorum, licet multa obstent, is esse aliquando non poterit, qualem volet? Cum vero Parochi plerumque arbitrio ille deli-

(*) *Rationabile obsequium vestrum*; Ep. ad Rom. c. 12. 1.

deligatur, qui publicae institutionis munus exercet, fidissimum in eo habere poterit suae salutaris operae, ac ministerii adiutorem. Si quemadmodum adolescentium efformetur animus, et subiectum sibi Magistrum dirigere possit, ipsum non lateat; si ferendos in ipso praesertim initio, ac deinceps amplissimam consecuturos mercedem labores non reformidet; si quae iam de scholis praecepimus, et quae praecipiemus in posterum, accurate servet; non ignorabit etiam, unde necessaria petere auxilia possit, quae ut semper in promptu habeat, curabimus diligentissime. Unus homo multa poterit. Quid ergo multorum opera posset efficere, si omnes una simul agerent, si universus Parochorum coetus non privatis cupiditatibus, aut commoditatum studio duceretur, neque tangeretur ulla formidine a superstitiosis hominibus iniecta, aut praeconceptis temere opinionibus rumoribusque vulgi permoveretur; sed unice ut res prospere cedant, certatim contenderet? Quanta tunc, quamque felix inter rurales nostros adolescentes religionis, morum, scientiarumque mutatio fiet!

39. At ne inter aetate provectiores quidem ullus erit vestro studio repugnans. Illic nullo flectendam consilio pervicaciam invenies, ubi servitus, terror, ac summa inopia impotentem exercet dominatum. Ubi vero sanctissima hominis, ac civis iura vigent, nulla industriis hominibus necessaria desunt, plurimarum insuper vitae commoditatum adest usus: illic profecto praestans morum integritate administer, qui laeto atque alacri vultu manus protendat ad populum, et summi communisque omnium Magistri doctrinae inhaerens suum moderetur aequitate et ratione studium, uberrimum suorum, quos prudentia regat, et firmet constantia, laborum fructum percipiet. Sapientiores namque, et honoratiores a populo homines, Parochi exemplum secuti religionis causam suscipient. Doctrinae, veritatis bene perspectae, atque exempli vi finitimi dociles fient, et ad alios imitandos excitabuntur. Tot opprimentium alios, ac potentium hominum loco, quales fere sunt colonorum principes, brevi in rusticis societatibus totidem existent Abrahamo persimiles, qui optimi illius patris vestigiis inhaerentes summum in eo Religionis, atque honoris gradum constituent, ut tum praeceptis, tum exemplis vera commoda, ac bona ad suos, et ad finitimos protendant; et familiaritate, atque humanitate utentes ostendent compluribus, quemadmodum facile atque honeste parvo contenti vivere possint. Ad

hanc

hanc normam, atque ad has leges dirigenda sunt quidem, quaecumque ad praesentem atque ad aeternam populi salutem vel ab Episcopo, vel a rege reformanda suscipiuntur. Ii excitandi cumprimis, qui recte cogitare, et ratiocinari consueverunt, eaque re mirifice delectantur. Hos pone atque ultro sequenter reliqui. Haec suis in exhortationibus spectabit Parochus. Ipse penitus se atque alios suadebit, praecipuum Christianae pietatis officium esse sine ullo partium studio, atque attente ex rerum usu, atque exemplis, ex divini verbi doctrina, ex reliquis omnibus praeceptis consiliisque ratiocinari: efficiet etiam, ut persuasum penitus habeant, rationis usu sapientem virum, atque optimum Christi sectatorem distingui; adeoque esse necessarium ei proprium et insitum religionis officium, ut sine eo universa Dei beneficia, atque omnis sacrae Scripturae doctrina irrita prorsus evasura sint; ea enim nihil religionem adiuvant, nisi percepta mente, indita animo, fideliter constanterque perfecta. Illud etiam ostendet ex Matth. cap. 13. divini verbi semen bonam terram exposcere, mentem nimirum animumque diligenter excultum ac praeparatum, atque adeo conceptas antea pravas opiniones abiiciendas, cogitandique tarditatem inertiamque superandam.

40. Animadvertet praeterea Parochus vehementissima quaeque monita atque hortamenta inutilia prorsus fore, nisi iisdem auditores erudiantur ac persuadeantur; ac nisi eadem intelligentia assequantur, meditantur attente, fideliterque custodiant, transitorius tantum quidam fervor eorum in animis excitabitur, qui brevi deficiet, atque evanescet; tunc enim solum optime afficitur, ac firmiter emendatur voluntas atque animus, cum pravae de Deo, de pietate, de salutis adiumentis, praesidiisque mente abeunt opiniones, ac penitus insculptae animo rectae notiones inhaerent, quae de intima animae perfectione, ac de Christiana pietate penitus persuadeant. Hoc veritatis praefulgente lumine validius ad Deum virtutemque contendent animi studia; atque initis recte consiliis firmitas et robur accedet.

41. Avertat Deus ab omni populo Pastorem sui officii prorsus ignarum, qui veluti mercenarius necessitate tantum compulsus, nulloque permotus religionis, atque alienae salutis studio suum munus exercet; qui satis habet populi aures, atque oculos detinere; Ecclesiasticis beneficiis ad bene et commode vivendum, atque ad congerendas opes

uti-

utitur; ventri, et mammonae unice inservit; Pastori gregem, non gregi Pastorem pascendum esse obliviscitur. Nonne in huiusmodi mercenarios ignorantia, cultus feritas, pravitas morum, quae latissime dominatur, merito conferenda esse videtur?

42. Verum ut Parochus excolendis aliis operam dare possit, ipse imprimis sit oportet maxime excultus. Optandum quidem, immo prorsus necesse foret, ut praeter ea, quae eius muneris sunt, plurima etiam bene percepta nosset, Psychologiam, naturae ius, morum scientiam, historiam, humaniores literas, rei familiaris administrationem, Medicinam, ac praecipue Diaeteticam, patrias leges, et consuetudines; atque ut naturali praesertim historiae animum adiiceret in his maxime regionibus, in quibus tam multa sunt, quae natura gignuntur, quaeque vel parum nobis nota sunt, vel male, atque inutiliter adhibita etc.; sed Parochi in primis est religionem, et necessaria eius praecepta, ac fundamenta cognoscere, tum quantum ipse reformandis beandisque hominibus conferat, et quomodo pro diversitate rerum hoc Religionis praesidio opportune utendum sit. Hominis animum plene noscet, eiusque vim et penitiora studia occultissimosque sinus scrutabitur, eum religioni facile pervium efficiet, laudemque dilucide et graviter explicandi communis vitae praecepta atque officia obtinebit (*I. ad Cor.* 3. 1. 2. 3. 1. *Petr.* 2. 2. *ad Heb.* 6. 12.); solidiori cibo comedendo impares lacte enutriet; atque e diversis, quibus sui muneris vi implicatur ambagibus difficultatibusque, sese prudenter expediet; sui ducem studii moderate et caute rationem sequetur, quo difficultates superare, et suo officio satisfacere possit. Lenitati in suum gregem par in ipso erit nobile ac plenum beneficentiae studium, quo si Pastor careat, fit mercenarius. Sui compos nunquam se irae, avaritiae, aut pertinaciae permittet. Gravitate, urbanitate, et comitate cultissimi cuiusque viri existimationem sibi conciliabit, suoque ministerio decori atque ornamento erit. Ita in rebus omnibus caute se geret, uti hominem decet, qui Servatoris exemplum sequens (*Act. Apost.* 1. 1.) prius faciat oportet, quam doceat, qui non solum ubique se intuentes Dei omnipotentis oculos numquam obliviscitur, sed gravissimum sponte munus suscepit instituendi populum moribus magis atque exemplo, quam verbis, eumque excitandi ad Christianae religionis praecepta accurate servanda, atque eidem populo, qui perspicacior, quam vulgo

cre-

creditur, Parochi iudex est; bonorum operum formam, atque exemplar sese praebendi. (1. Petr. c. 5. v. 3.)

43. Quo maiora, quo plura, et graviora huiusmodi officia sunt, eo magis iusta, necessaria, atque ex ipsa rei, de qua agitur, natura profecta esse plane constat; ita ut a nullo ipsorum vel minimum recedere cuiquam liceat.

44. Vestro igitur ingenio ac sapientia, vestra virtute, opera, ac labore fiet, ut in populos doctrinae lumen, vera pietas, ac felicitas diffundatur. Perspicuis vestris, atque optima complectentibus documenta sermonibus ad versandos diu noctuque Sacrae Scripturae libros, atque ad cupiditatem ea penitus cognoscendi, quae ad salutem pertinent, excitentur. Hoc diversa ratione edoceantur in publicis pietatis exercitationibus, hoc in plenissimis divini amoris ac religionis exhortationibus, hoc dum ferventes ad Deum adhibentur preces, atque animum pie moventes canuntur hymni, quorum strophas optimis comparationibus, seu parabolis coniunctas in promptu atque in ore habeatis, et in privatis colloquiis, et in audiendis Confessionibus, et cum aegris adestis, ac morti proximis, illud nunquam obliti, in quo vera religio, atque intimus animi erga Deum cultus praecipue versatur. Ita enim quae vera, quae falsa pietas sit, facilius patebit in dies, animi religio ab stulta inanium ceremoniarum imitatione atque a vanis falsae religionis clamoribus; vera pietate ferventes ab iis, qui sese studiose contorquentes pietatem simulant, secernentur: doctrina, honestas, intima socialium officiorum cognitio, fides, comitas, et mutuum sese adiuvandi studium latius patebunt. Qui sane cultus etiam populis omnium maxime probabitur, absurdis illis eliminatis pietatis exercitationibus, in quibus temporis, pecuniaeque iactura tantum inerat. Maiori religionis studio incensi, magisque edocti sanctissima a vobis Sacramenta accepturi accedent. Emendato, atque ad meliorem rationem redacto cultu, illustrata doctrinis mente, excitata in huius etiam vitae rebus industria locum virtuti dabit vitium, ac veluti renovata, atque expolita enitescet universa, quae vos circumstat, hominum multitudo.

45. Vobis autem ea omnia tradidit D. O. Maximus, quibus perutilis haec rerum mutatio, atque instauratio fiat. Illud unice ad tantum perficiendum opus requiritur, ut fideles, impigri, et lucri minime cupidi administratores sitis.

Etsi

Etsi enim nullus ad vos inde fructus proficiscatur, eo magis vester acquiescet animus, quo magis ea satis habentibus, quae ex vestro munere ad vos redeunt, cum D. Paulo gloriari merito vobis licebit Act. Apost. XX. 23. *Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi*. De eo sitis unice, ac praesertim solliciti, ut Deus rite sancteque colatur; ut aeternam homines salutem consequantur. Absit a vobis illorum impietas, qui in totius Germaniae conspectu editis nuper libellis, veluti veritatem iniuste adulterantes libere traducuntur; (Ep. ad Rom. c. 4. v. 10.) qui Deum maxime formidandum, nulli adeundum, nullis flectendum precibus fingunt; qui illius repraesentant iustitiam non infinita bonitate sapientiaque ductam ac temperatam, sed torquentem fulmina, furore inflammatam, eiusque lateri haerentes et comites ultionem et interitum faciunt; qui eius immensae erga homines beneficentiae iniuriam inferunt, dum in ea opinione homines relinquunt, vel confirmant, Deum nihil nostris permotum calamitatibus, nostra etiam vota negligere, ita ut muneribus ac votis eum capere nobis necesse sit, vel a suscepto consilio deterrere, missis ad eum, vel Matre (*), vel ex eius amicis altero aliquo, vel eorum compluribus simul, perinde ac si corrumpi iidem facilius possint, ac per eos Deum ipsum adduci, ut hominum vota exaudiat, saepe a Divina sapientia, atque a benevolentia in proximos penitus abhorrentia, interdum etiam ita levia ac stulta, ut rectae rationis primum affulgente lumine evanescant. Adhibitus Sanctis honor non est omnino necessarium catholici cultus argumentum, neque ad intimam Religionis rationem ille pertinet, cum definitum unice ab Ecclesia fuerit, *utile* esse, et *laudabile* Sanctos colere ac venerari; modo id ea tantum de causa fiat, ut eorum exemplo excitati eum nobis proponamus ad imitandum, qui veluti perfectissimum in Deum, atque in proximum amoris, ob-

(*) Probatum hoc ab Ecclesia nomen, atque alia, quibus vocari solet, *Mater gratiae*, *Mater misericordiae*, *Caeli*, *Angelorum*, *Electorum Regina*, *Domina nostra*, *Conciliatrix*, et caetera huiusmodi, indignis Deo, ac Religionis integritati noxiis opinionibus rudes animos possent imbuere, nisi huic incommodo occurrat optima institutio in huiusmodi rebus semper maxime necessaria.

obsequentis ultro Divinae voluntati, fidentisque certissime in eius providentia animi exemplar se praebuit (Ep. 1. ad Cor. c. 4. v. 16. Ep. ad Eph. c. 5. v. 1.). Tunc Sanctorum cultus unice laudandus, quum eorum vitas perlegentes ea ad nostrum solatium atque ad nostram confirmandam spem meditamur attentius, quibus divina erga homines benevolentia enituit; cum Sanctorum cultu, rerumque ab ipsis praeclare ac recte gestarum memoria eo adducimur, ut in veritate, sanctitate; et iustitia serviamus Deo, maiori pietate ac religione, de admissis culpis vehementius dolentes, ardentiori virtutis studio incensi ad Sacramenta suscipienda accedamus; cum honorem Sanctis habentes, ratione, ac patefacta divinitus doctrina duce intelligimus, eos licet virtute eximios, ac nobis longe praestantes, ne ipsa quidem Virgine excepta, si cum Deo conferantur, esse infinite parvos, neque aliud posse, quam pro nobis ad Deum adhibere preces, neque insuper id eos velle, si ea postulentur a nobis, quae a ratione, ab amore in proximum, a divina sapientia abhorrent, et cum aliquid pro nobis a Deo petunt (quod in rebus plerumque animi salutem spectantibus eos tantum facturos sperandum est) ita affectos animo esse, ut in Christo Iesu id omnino velint, quod Deo ipsi placuerit. (Math. c. 6. v. 10. Luc. 22. v. 42. (*)) Sanctorum denique cul-

(*) *Benedicta in mulieribus* Domini ancilla dicitur Luc. c. 1. v. 38. 47. *Dixit autem: Ecce ancilla Domini*; *fiat mihi secundum Verbum tuum ... Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillae suae*. Eadem de intempestiva postulatione arguitur Ioan. c. 2. v. 4. suosque ad Iesum ministros, et famulos mittit Ioan. c. 2. v. 5. Maior vero inter natos mulierum se profitetur indignum, qui Iesu corrigiam calceamenti solvat (Marc. c. 1. v. 7. Ioan. c. 1. v. 27.). Audientium spem, vota, fiduciamque convertit, ac dirigit ad Christum Iesum, qui est Agnus Dei (Ioan. c. 1. v. 29. 36.). Ad Christum Iesum remittit Discipulos etc. Sic studiosissimus ardentissimusque inter Discipulos nihil aliud in suis epistolis, quam eximium Iesu Christi amorem, firmissimam in perditi hominis Reparatore fiduciam, vehemen-

cultus improbandus nequaquam erit, si de summo illo cultu, qui Deo unice, et quem misit, Iesu Christo debetur, ac

mentissimum ei iugiter inhaerendi desiderium spirat. Ea Sanctorum quorumvis hominum in veris historiis exhibetur imago; ita in suis Institutionibus docuerunt praestantes doctrina viri, uti in eximio opere, quod *Philothea* inscribitur, D. Franciscus Salesius. Nimis quidem a veteris doctrinae integritate alienum est, et electae Christi Sponsae iniuriosum exquisito rerum externatum apparatu utilem Sanctorum cultum praeter modum augere; ex his alium alii, uti festorum dierum ordo vel utilitas postulat, substituere, atque ad Deum usque ita indecore extollere, ut auditores incerti atque haesitantes ignorare incipiant, cuinam summum honorem, suamque fiduciam debeant, utrum viventi Deo, qui unus potens est omnem gratiam abundare facere in nobis (Ep. 2. ad Cor. c. 9. v. 8.) qui dives est in misericordia (ad Eph. c. 2. v. 4.) qui operatur in nobis velle, et perficere (ad Phil. c. 2. v. 13.) Deone omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu (1. Petr. c. 5. v. 10.) Deo Regi Saeculorum immortali, immutabili, invisibili, cui nuda et aperta sunt omnia (1. ad Timoth. c. 1. v. 17.) an iis, qui Dei ipsius beneficio, ac misericordia sunt, quidquid sunt. Si nimium protenditur, augeturque Sanctorum cultus, ad tollendos abusus necessario sibi illum coercendum circumscribendumque esse sentiet tandem Ecclesia. Videndum etiam illi erit, ut ea Sacrae Scripturae loca, in quibus hominum cupiditates, infirmitatesque, ira ex. gr. odium, poenitentia, mutabilitas Deo videntur attribui (a) caute sapienterque explicentur; ne regis similitudo, quam

(a) Haec, aliaque huiusmodi verba, quae in Sacris litteris, in Christianarum institutionum libris, in publicis pietatis exercitationibus, precationibus, aliisque compluribus huius generis Scriptis passim occurrunt, ex humanis rebus sumpta, et ad Deum translata falsas ac superstitiosas opiniones populi animis procul dubio possent ingerere; quod ne fiat, recte, atque aperte Parochus populum ipsum edoceat, necesse est.

ac de plenissima in eo solum collocanda fiducia ne minimum quidem detrahatur. Illud autem speramus fore, ut in huiusmodi rebus, in quibus vulgo nostra hac aetate peccatur, ne exigua quidem gregis nostri pars reprehendi merito possit. Id tamen documento Parochis esse debet, eosque ad gravissima illa damna ac discrimina consideranda revocare, quae possent facile consequi, si in iis, quae ad Divini cultus rationem quidem non pertinent, sed eidem quodammodo ac-

 ces-

qua Deus in sacris litteris repraesentatur, imprudenter tractetur; ne rudes ignarique homines, qui Deum his corporeis rebus persimilem sibi facile fingunt, in stultos Ethnicorum errores incidant, veluti Dei amicos, et familiares Sanctos esse arbitrantes: ne ethnica illa ad plures perveniat in dies opinio 1. Reg. c. 18. v. 28. quae vult, Deum optimum, ac beneficentissimum susceptis a nobis sponte cruciatibus afflictationibusque corporis, atque adhibita in nos ipsos vi et crudelitate delectari; atque ita constituta in externis quibusdam operibus poenitentia intimus tollatur animi dolor, qui unice animum a culpa revocat, atque ad Deum ipsum perducit; qua de re cap. II., et alia quae sequuntur, Lamindi Pritanii de vera pietate legi possunt. Necesse etiam erit, ut serio ad res quasdam expendendas, certisque finibus circumscribendas animus convertatur, utrum optimae disciplinae loco futilibus quibusdam rebus, commentitiis narrationibus, spiritualibusque fabellis decipiatur multitudo atque exterreatur; utrum reliquiis, lustrationibus, expiatisque rebus non iam aliqua a Deo necessariam opem impetrandi virtus, sed magica quaedam atque omnipotens vis attribuatur; utrum rudes homines errorem illum cupiditati suffragantem retineant, maius nempe admitti scelus in alicuius Sancti, licet sublato Festo, quam die Dominico operibus vacando; perinde ac si Sanctorum cuilibet praecipuis quibusdam necessitatibus, ac morbis prospiciendi medendique cura esset; otio illi, ac socordia colantur; perfectum rite sancteque diurnum opus irati ulciscantur, dum revera nullum ex cereis facibus, ex oblatis muneribus, ex celebritate ac pompa, ex nostro denique otio fructum percipiunt, nec aliud quidquam a Deo postulant, quam ut eius cognitio, amor, et gloria una cum benevolentia in proximos augeatur.

cesserunt, aliquid vel minus legitimum, vel ex lucri cupiditate profectum, vel alioqui improbandum spectaretur.

46. Absit a vobis stulta, ac turpis quorumdam Concionatorum ratio, qui nonnullas prae caeteris omnibus sacras expiationes, sive Indulgentias venditant, atque in amplificando exaggerandoque hoc Ecclesiae thesauro toti sunt, interim vero edocere populum negligunt, quae ad obtinendas huiusmodi expiationes servandae necessario sint leges, a quibus eadem Ecclesia recedere nullo pacto potest. Vos autem, cum de iis habebitis sermonem ad populum, ne praetermittatis ostendere, nimias illas, faciles, et quae vel latissime patent, vel praescriptis in Pastorali Epistola postridie Id. Febr. an. 1776. a nobis data conditionibus carent, in totidem abusus converti, suae non parum dignitatis amittere, atque a sincerae poenitentiae ratione, veraque Ecclesiae disciplina quam maxime abhorrere; ita enim in quarto Lateranensi Concilio an. 1215. habito repraesentantur. „ Quia per indiscretas „ et superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Praelati facere non verentur, et Claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum . . . ac deinde in anniversario dedicationis tempore 40. dies de iniunctis poenitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteris praecipimus moderari, quae pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare „. *In his concedendis moderationem iuxta veterem, et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi* praecipit Tridentina Synodus, *ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur . . . pravos quaestus omnes probis concedendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse: Caeteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum, et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat . . . ut ita Sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur. Indulgentiarum usum sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet, ac praecipit.* 47.

47. Vestrum est igitur constitutas olim ab Ecclesia poenitentiae leges penitus nosse, recte de sacris huiusmodi expiationibus sentire, earum ductam ab Apostolorum aetate originem, et continuatum posterioribus saeculis usum habere perspectum; tum quibus mutationibus, et qua de causa obnoxiae fuerint; quae fuerit olim Ecclesiae mens, iterum per memoratas ante Synodos sapienter proposita; qui demum tum iam elapsis, tum nostris hisce temporibus abusus irrepserint, ut ex indulgentiarum concessionibus, commendationibusque, quae per tot Congregationes, ac Sodalitia distribuuntur, aperte colligitur. Haec omnia clare vobis docendus est populus. Quantum potestis, studio et labore contendite, ut ea removeatis, ac tollatis incommoda, quae persaepe Indulgentiarum occasione oriuntur, maxima hominum confluente multitudine, qui ea de causa sua officia deserunt, complures dies otiosi vivunt, noctes una simul nullo habito sexus discrimine traducunt; quibus rebus fit, ut sine ullo doloris, et contritionis sensu locum audiendis confessionibus addictum conferti ac frequentes adeant, atque ipsi Confessionis Ministro molestiae simul, atque avocationis animi causa sint. Interim vero neque in Poenitentis statum sedulo inquirere, neque triplex animarum Iudicis, Magistri, ac Medici officium is exequi accurate potest. Hinc ad Communionem viam sibi inordinate populus aperit, precationes Indulgentiae causa imperatas recitat, eamque se iam consecutum esse gaudens ad cauponas genio indulturus convolat, ibique prima offendit peccandi pericula. Ratus demum in gratiam se rediisse cum Deo domum revertitur, atque eadem patrare crimina impune se posse existimat, modo rursus efficacissimo huiusmodi remedio utatur:

48. Numquam vos importunus ille timor incessat, ne idcirco Ecclesiae ornatus, et facultates, oblata Missarum pro vivis, et vita functis Fidelibus stipendia, ne demum altari inservientium victus cultusque decrescat. Nunquam enim neque Princeps, neque Episcopus sacris Ministris necessaria deesse patientur, modo Iesu Christi doctrina iisdem cordi sit (Matth. c. 6. v. 24-34. D. Paulus Ep. 1. Timoth. c. 6. v. 6. 8. ad Hebr. c. 11. v. 13. ad Phil. c. 3. v. 8. c. 4. 11. Proverb. c. 30. v. 8.). Cur vero amori in Deum, virtutisque, et aeternae salutis studio non omnia devoveat, qui suae Paroeciae hominibus est auctor, ut panis etiam frustum cum egenis dividat? Cur id non aequo animo faciat,

ciat, potiusquam adversus Dei legem, suaeque conscientiae vocem quidquam admittat? Nonne quaecumque illi supersunt, populi institutioni, veritati, liberali in proximos benevolentiae, et mentis animique religioni, impertiri necessario debet? Nonne longe praestat Christiani populi charitatem erga illos convertere, atque excitare, qui vera inopia laborant, quam in Sanctos, aut ad eroganda pro Missarum celebratione stipendia?

49. Caute vero, prudenterque a divino cultu removendum curetis, quidquid pravum et absurdum infelicissimis ignorantiae saeculis superstitio atque avarities invexit. Indecorus quilibet, vel ambiguus ornatus auferatur a Domo Dei, tum imago quaelibet, et ridicula quaevis spectacula, quae impedimento esse possent, quo minus Deus, cuius infinita magnitudo est, et in quo nihil est concretum, nihil admixtum, eo, quo par est, honore colatur; quaeque oculos tantum percellunt, sensus delectant et commovent, animum vero sanctitatis consiliique prorsus inanem relinquunt.

50 Si eam initis destruendi aedificandique rationem, qua ad meliorem sanitatem ac frugem vestri gregis mentem animumque revocetis; si eo illum adducitis, ut Deum vere colat, ut ipse se, et ea, ad quae electus et vocatus divinitus est., sua demum officia plane noscat, amore boni in dies magis se praebeat Deo ipsi persimilem; ex hoc religionis cultu illud necessario consequetur, ut mitescant mores, beatior universim sit hominum vita, sanctiora fiant ubique foedera, ratio ac virtus latissime pateat. Huiusmodi quoque religio animum universis addet, constantes efficiet, et in fratres alia ac nos de nonnullis religionis rebus sentientes ita affectos nos reddet, ut cum iis pacem et commercium habere nequaquam gravemur; humanitatem urbanitatemque latius per orbem protendet; conceptam animo rerum futurarum spem confirmabit; omnem illam nobis tranquillitatem, et voluptatem afferet, qua frui pόssunt mortales in terris, atque ad eam felicitatem, quam oculus non vidit, auris non audivit, et quae nunquam deficiet, facilem nobis sternet viam. Haec suismet satis superque laudibus commendabitur semper religio; ea enim veluti firmissimum reipublicae praesidium, atque arctissimum suavissimumque societatis vinculum ab omnibus statim dignoscitur; ea fidissimis, impigris, ac necessariis Ecclesiae iuxta ac regni ad-

mi-

miniſtris existimationem omnium, atque honorem conciliabit.

51. Hoc sane pacto, Sodales cariſſimi, et in vinea Domini adiutores mei, in noſtra Archiepiſcopali Eccleſia poſt mille et ducentos ab eius inſtitutione atque origine elapſos annos proximo Septembri octo dierum ſunt celebranda ſolemnia. Illud efficite, ut tempus hoc memorabile fiat; quod ſane continget, ſi veſtri officii magis, quam antea memores, veſtri miniſterii magis dignitate permoti, ardentiori nobiliorique in veſtrum gregem amore incenſi, de veſtra aeterna ſalute magis ſolliciti, maiorem opem, ac vim, atque uberiorem ſcientiam implorabitis. Doceat unusquisque veſtrum, quomodo vera, et in animi integritate cultuque praeſertim poſita colatur Chriſtiana religio; quam ſancte digneque Deus ſit in ſpiritu et veritate adorandus; quemadmodum denique efficaci illo rectoque amore diligendus ſit proximus; qui videlicet amor animum alienae inopiae et calamitatis miſeratione facile permotum, tantae rei cogitatione detentum, ſui officii ſtudioſum, rationem ſequentem ducem, atque omnibus Chriſtianae religionis praeceptis firmiter inhaerentem conſequitur. „ Induite vos ergo, ſicut electi Dei, „ ſancti, dilecti, viſcera miſericordiae, benignitatem, humi- „ litatem, modeſtiam, patientiam .... ſuper omnia autem „ haec charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. „ Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua, et „ vocati eſtis in uno corpore, et grati eſtote. Verbum „ Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, „ docentes, et commonentes vosmetipſos pſalmis, hymnis, „ et canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus „ veſtris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in „ opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti, gratias „ agentes Deo, et Patri per ipſum. *Ep. ad Coloſ. c. 3. v.* 12–17.

Dat. in Archiepiſcopali noſtra Principe Urbe ac Sede Saliſburgenſi, SS. Petri et Pauli feſto die, III. Kal. Iul. an. 1782.

HIERONYMUS etc.

(L. S.) *Ex commiſſione RRmi. ac Celſiſſimi DDni. Archiepiſcopi et Principis etc. etc. ut ſupra ſpeciali ſubſcripſit.*

Antonius Meardus Krenner
Conſiſtorii Cancellarius.

SUPREMI SALISBURGENSIS CONSILII

Ad Praesidem, Moderatorem, Cancellarium, et Consiliarios Ecclesiasticis rebus Praefectos

EPISTOLA.

Cum facti certiores fuerimus post editam III. Kal. Iul. huiusce anni Celsissimi ac Reverendissimi nostri Principis et Archiepiscopi Pastoralem Epistolam a nonnullis Parochis eam e suggestu ad verbum, nullisque adhibitis animadversionibus fuisse perlectam ita ut (quod praevideri facile poterat) fastidio afficeret alienaretque audientium animos, qui eiusdem sensum, ac vim minime assequebantur, nec assequi mente poterant, neque enim ad eos erat, neque ad eorum captum accommodate scripta: nostrum esse duximus et quam id aegre tulerimus ostendere, ac generatim monere, huiusmodi mandata, qualia quantaque sunt, nequaquam legenda populo, sed quae populum praecipue spectant, ex iisdem excerpenda, atque etiam opportunis animadversionibus explananda, ita ut quivis ea intelligere facile possit; quod procul dubio fiet, si sapienter omnia, moderate, ac prudenter fuerint exposita, aliisque aeque validis, aeque populo gratis, utilibus atque animadversione dignis rationum momentis confirmentur. Alia etiam uno eodemque tempore ad eamdem rem pertinentia vobis mandata proponimus, a Principe nostro humaniter data, quorum vi omnibus, et singulis huius Archiepiscopatus Saecularibus iuxta, ac Regularibus concionatoribus mandamus ac praecipimus;

I. Ut attente atque assidue ea omnia memoria repetant, atque accurate studioseque perficiant, quae Regia Celsitudo Reverendissima vehementiori animi studio, gravissimis verbis, et quae praecelsam eius dignitatem decent, Clericos monuit, ut populum instruant, in laudata Pastorali Epistola a num. 18. usque ad 23., et a 31. ad 51.

II. Ut in primis, ac semper ea sibi proponant, et tractent, quae religionem necessario spectant, atque unum illud, et maximi momenti negotium, cuius gratia hic vivimus (Luc. c. 10. v. 40.) quod vulgo maxime ignoratur, ac de quo permultos adhuc errores, absurdasque opiniones perspicere nobis licet. Quae vero maxima in Religione sunt, ea etiam ostendent referre maximi, ac tum in suis sermonibus, tum aliis in rebus, quae ad religionem pertinent, id curabunt

po-

potiſsimum, ut perſpicuam rectamque supremi Numinis cognitionem audientium animis ingerant, eosque ultro atque alacriter eidem obtemperantes, eiusque beneficiis gratos efficiant, atque ad efficacem in homines benevolentiam adhortentur. Raro autem, ac minori studio, et tunc solum, cum id res postulare videbitur, ea attingent, quae religioni extrinsecus acceſserint, ita tamen, ut de neceſsariis eiusdem rebus ne minimum quidem detrahatur, et ad eas reliqua omnia caute referant, atque acceſsoria tantum ab iis, quae prima ac praecipua in religione sunt, semper fideliterque secernant.

III. Cum omnium librorum optimus ac praestantiſsimus, divina nempe Scriptura, doctrinis atque exemplis affluat, narrationes omnino fugiant ex pravis quibusdam historiis, et miraculorum collectionibus nullo delectu factis, nullo iudicio, atque ex veteri illo proverbio: *in exemplis non requiritur veritas*: exceptas, quibus superstitio, impoenitentia, atque animi rusticitas, et ignorantia fovetur; atque ita sese gerentes suomet exemplo vera esse demonstrent illa Domini verba apud Ier. c. I. » Ecce dedi verba mea in » ore tuo. »

IV. Ne iis rebus, quibus iniustitia ac turpitudo inest, populi plausum captare studeant; velut si incertas, quas modo diximus, narrationes proferrent, nimio ac severiori zelo uterentur, aliorum famam atque existimationem vel revocarent in dubium, populi querimonias adversus magistratus eorumque decreta foverent; sed verbis simul factisque doceant, quemadmodum ingenuo veritatem amore prosequi, proximi existimationem tranquillitatemque religiose colere, in omnes mitem ac mansuetum, Principi aliisque omnibus, qui eiusdem personam ac vices gerunt, fideliter obsequentem sese praebere quisque debeat. Deuteron. c. 1. v. 17. Ier. c. 27. v. 12. ad Rom. c. 13. v. 1-17. ad Eph. c. 6. v. 5. 6. ad Col. c. 3. v. 22. 23. ad Heb. c. 13. v. 17. ad Tit. c. 3. v. 1. 2. I. Pet. c. 2. v. 13-14.

V. Dei verbum a Concionatoribus Christiani accipiant, ut ait Apostolus 1. ad Thes. c. 2. v. 13. non tamquam hominum verbum, sed tamquam verbum Dei uti revera est. Dum igitur Christianae Regionis dogmata ac praecepta iis explicant, qui esuriunt ac sitiunt iustitiam, atque ex Concionatorum ore verba vitae cupide expectant, tumentes fugiant inutilesque locutiones, translata audacter verba, ni-

mis exquisitas, reique parum persaepe aptas allegorias, subtiles, inanesque verborum argutas, quae dum aures permulcent, nihil meditandum percpiendumque menti offerunt; verba omnia reiiciant, quae auditores oblectant, et risum magis, quam pietatem comnovent; neque per propositionum, ac divisionum aenigmata ideo obscuri fiant, ut nequeant intelligi, neque declamationibus, ac nimis exquisito vehementiorique gestu auditores percellant, ut scenicorum, et circulatorum mos est, qui admrationem facere cupiunt; neque parum castigatis exemplis, nterpretationibusque utantur, ne vitiorum magistri evadant, qui ad ea fugienda debent potius auditores hortari. Abst quam longissime ab eis intolerabilis illorum arrogantia, qu totidem veluti divina decreta venditare vellent stultissima aestuantis ingenii commenta, et Dei irae atque ultioni tribunt, quaecumque naturae vi, ac lege minus prospere evenimt in terris. Caveant insuper ne plenis strepitu, terrore, imprecatione Concionibus populum terreant; ne suo arbitrio eplicent divinae Scripturae loca, atque ad sensum Ecclesiae menti, sanioribusque regulis contrarium detorqueant; ne concionandi officio in Ecclesia admodum sapienter atque utiliter instituto turpiter abutentes animarum salutem impediant; veldi cum arduam nimis, tetricam, ac difficilem poenitentiae viar peccatoribus repraesentant animosque horrore magis complet, quam incitant ad eam alacriter ingrediendam; atque a contriti humiliatique cordis sacrificio avertunt populum prvis compluribus futilibusque rebus, quae sanctissimae nostrae religionis hostibus funestissimam eius contemnendae, deridendae ue occasionem praebent. Denique Iesum Christ m, et hunc crucifixum sibi unice agendi loquendique formam et exemplum proponant. Ep. 1. ad Cor. c. 2. v 2.

VI. Cum Princeps, et Archiepiscopus noster ob ingentem suae Dioeceseos amplitudnem et plurima alia, quibus assidue distinetur, negotia gavissima, populi institutioni ipse per se dare operam nequet, uti Episcopi dignitas, et munus postulat; vult tamen fieri certior, et quam accuratissime potest, cognoscere, qumadmodum, qui in Pastorali munere eum adiuvant, offico suo satis faciant, quemadmodum Dei verbum exponan, et Ecclesiae filiis panem frangant. Suas igitur scriptas deinceps conciones habeant, ut eas statim ad Decanos, sive etiam ad supremum Consilium, vel, ut aiunt, Consistorium, quoties iussi fuerint, mit-

mittant. Scripto etiam ad calcem cuiusque Concionis significent, an eas ipsimet elucubraverint, an ex aliquo sumpserint, quem patefacere, atque indicare debent. Librorum etiam quos penes se habent, indicem sua ipsorum manu signatum in promptu habeant, ut iussi statim eum proferant, neque eorum tantum, qui ad eos iure pertinent, sed etiam, qui ad successores transire debent, quique his verbis notandi, secernendique a caeteris sunt: *ad Paroeciam, Vicariatum, Canonicatum, Coadiutoriam etc. spectant*:

Salisburgi XVII. Kal. Dec. 1782.

IOSEPH Comes STAREMBERGENSIS
Praeses.

(L. S.)

Franciscus Xaverius Hochbichler
Director.

Antonius Medardus Krenner
Cancellarius.

N. IX.

In novis erigendis in Pratensi Urbe Paroeciis Pastorales Episcopi literae.

Scipio de Ricciis divina miseratione Pistoriensis et Pratensis Episcopus institutarum recens in Urbe Pratensi Paroeciarum Parochis Populoque, spiritum christianae charitatis.

Omnia honeste (inquit D. Paulus, in I. ad Corinth. c. 14. 40.) *et secundum ordinem fiant*. Hoc generali praecepto ea plurima concludit Apostolus quae de Ecclesiasticis conventibus Corinthios monuerat. Haec sane tuendae in Ecclesia pacis, veritatis, ac disciplinae via est; ad hanc vos, carissimi fratres ac filii, ex animo ac vehementer hortamur. Servandus in rebus omnibus, in iis praesertim quae ad religionem pertinent, ordo postulat, ut cum Paroecia quaedam veluti familia sit suo capiti patrique, nimirum Parocho obtemperans; quotquot eamdem Paroeciam constituunt eo

ma-

magis habere se invicem debent veluti fratres, qui eadem utuntur mensa, eadem amantissimi atque optimi Patris voce manuque spiritualiter enutriuntur. Vestrum neminem latet primis illis Ecclesiae temporibus, antequam populis nationibusque Evangelii lux affulsisset, consuevisse universos cuiuslibet civitatis fideles cum Episcopo aut Presbytero, qui eius locum teneret, in unum locum convenire sacra simul mysteria celebraturos. Unus hic legitimus erat fidelium conventus: *corpus sumus* (inquit Tertullianus Apolog. 39) *de conscientia Religionis et disciplinae divinitate et spei foedere. Coimus in coetum, et congregationem facimus, ut Deum quasi manu facta precationibus ambiamus. Haec vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministeriis eorum, ac potestatibus Saeculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad literarum divinarum commemorationem si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus in compulsationibus densamus*, Vel ab Apostolorum aetate apud S. Lucam scriptum legimus (Act. c. 20. v. 7.) omnes una simul fideles ad sacra mysteria celebranda divinumque audiendum verbum convenisse. Uterque ibi frangebatur vitae atque intelligentiae panis, et per Pastorem qui conventui praeerat fidelibus dispensabatur. Aucta vero brevi credentium multitudine Ecclesiam aut Dioecesim in multas Paroecias distribuere necesse fuit; et unicuique praefectus est Sacerdos, qui eam administraret, panem vitae populis praebens eiusque mysteria et sanctitatem detegens, eosque adiuvans, ut eodem rite sancteque uterentur. Quod ad Ephesios scribens dixerat olim D. Ignatius, scilicet non adesse conventibus cum Episcopo arrogantiae ac superbiae argumentum esse, et idem esse prorsus atque a reliquis fidelibus discedere, hoc deinceps Patrum omnium ore usurpatum est, hoc in Conciliis declaratum in eos, qui Festis praecipue diebus a sua Paroecia aberant. Veteres de hac re Tridentina Synodus renovavit Ecclesiae canones, mandans Episcopis, ut illius officii Fideles moneant, quo ad suam quisque Ecclesiam tenentur convenire, et sacris qui in ipsa habentur sermonibus interesse. Quae quidem Ecclesiae studia eo unice spectant, ut cum legitimo Pastore oves congregentur, ut una cum eo Deum exorent, Sacrificium offerant, et ab ipso tum Iesu

Chris

Christi corpus, tum spiritualem divini verbi cibum accipiant. Perspicua haec ut videtis, carissimi fratres ac filii, imago est tum unitatis Ecclesiae uni capiti et pastori, qui est Christus Iesus, subiectae, tum illius animorum coniunctionis, quae inter huiusce corporis membra eodem spiritu animata intercedat necesse est. Quisquis a sua Ecclesia et a suo Pastore discedit, hanc quodammodo unitatem et coniunctionem dirimit. At aliquis fortasse dixerit; cum una sit Ecclesia et ob charitatis vinculum spiritualium bonorum communicatio fiat, referre parum, utrum cum his e nostris fratribus, an cum illis ad precandum Deoque gratias agendas conveniam. Sed meminisse oportet instructo praeterea in acie exercitui nos in divinis literis comparari (Cant. 6. 9). Praecipuum vero aciei decus ac robur ordo est; cum scilicet suum quisque miles locum tenet, sua signa sequitur, ad nutum et in conspectu imperatoris sui pugnat. Unum sane corpus milites universi constituunt; sed nisi serventur ordines, nisi suo quisque Imperatori dicto audientem se praebeat, omnia sint oportet permixta ac perturbata. Idem prorsus in Dei Ecclesia fiet, si quis alteri capiti et pastori subiectus degere in alia familia velit, quam in ea, in qua divinitus est constitutus. Iesu Christi fratres universi sumus, qui per eum unum agnoscimus caelestem Patrem, ad quem semper vota nostra ac postulata convertimus. Sumus omnes eiusdem corporis membra, nempe Ecclesiae, cuius caput est Christus Iesus; *omnia autem membra* (ad Rom. 12. 5.) *non eumdem actum habent*, quemadmodum non omnes unius familiae fratres eodem officio funguntur. *Omnia* igitur *honeste* (iterum vobis dicam) *et secundum ordinem fiant*. Animarum Pastores ducibus sunt non absimiles, quibus pars copiarum commissa est; sunt fidissimi quidam veluti servi, quibus princeps Pastor Christus Iesus gregis partem tradidit custodiendam. Animadvertite, quaeso, quemadmodum, cum comitem turbam fame confectam recreavit, ex cuiusdam interpretis mente servandi in Ecclesiis Paroeciisque ordinis ac disciplinae specimen quoddam et exemplum praebere nobis voluisse visus est. Iussit enim Discipulos monere populum, ut in plures turmas, quarum singulae quinquaginta vel centum hominibus constarent, divisus discumberet; omnesque separatim Apostolorum Discipulorumque ministerio alebantur, qui eisdem acceptum a summo Pastore Christo Iesu panem distribuebant.

Qua-

Quamobrem iure quidem praecepit Ecclesia, ut publicis precationibus in sua quisque Paroecia Fideles intersint. Huiusce rei necessitatem aequitatemque vobis ostendi in illa pastorali Epistola, quam Dioeceseos Cathechismum proponens de Religione conscripsi. Non hîc ego plurima quae inde proficiscuntur spiritualia bona commemorabo; de iis enim tunc dictum est satis. Illud unice animadvertatis oro, in Parochiali Ecclesia contrahenda praenunciari Matrimonia, eorum qui sacris ordinibus initiandi sunt, praeconia fieri, festos dies, ieiunia, Episcopi monita et quaecumque nosse populus debet, edici. Nisi Missae aliisque sacris rebus adestis, quînam fieri potest, ut dirimentia Matrimonium si qua sunt prodatis impedimenta, adhibeatis pro nubentibus ad Deum preces, quibus tantum de causis Matrimonia praenunciantur? Idem de Clericis ad Ordines provehendis dictum esto, qui quales sint sedulo inquirit Ecclesia, et ad Deum exorandum Fideles hortatur, ut in ea dignos Sanctuarii ministros instituat. Si festos dies, ieiunia, vestrique Pastoris documenta et monita servare negligitis, aut haec non ita animo affecti servatis, uti Ecclesia postulat, non vos a culpa eorum ignoratio liberabit, si ad sacra loca, in quibus ea omnia publice proponuntur, accedere praetermiseritis. Si quis vestrum conquestus est, hactenus Ecclesias tot sacris ministris haud esse instructas, quot fidelium pietati satisfacere possint, nullus amplius relinquitur huiusmodi querimoniis locus, postquam summa religiosi sapientissimique Principis munificentia suppeditavit, unde huic inopiae consuli facillime possit. Statis certisque horis et populo commodioribus Evangelii explanatio fiet, Christiana tradetur institutio tum pueris tum provectis aetate hominibus; is in qualibet Paroecia erit ministrorum numerus, qui pietati Fidelium sufficiat. Qua maxima potest dignitate ac nitore sacrae res peragentur; humana aberit omnino pompa; et cum Parochorum et Coadiutorum victui fuerit iam satis abunde provisum, nunquam lucri cupiditatem in eos dominaturam, sed pauperibus aeque ac divitibus amantissimi Patris et Pastoris loco eosdem futuros, Deo adiuvante, confidimus. O me cum primis beatum, si has contigerit intueri aliquando Paroecias totidem familiis non dissimiles, in quibus alter curam alterius gerat, pauperis fratris inopia moveatur dives, eique suppetias ferat, bene de se meriti divitis charitatem pauper agnoscat, eumque suis adiuvet ad Deum preca-

tionibus! Si quis aegrotat aut animi tristitia angitur, non eum vicini deserant, sed corporea et spirituali ope recreent, in aerumnis solentur atque erigant, optimis consiliis moderentur. Eximiam habet solertiam et industriam charitas. Ea vos vehementer inflammet, neque illius exercendae deerit vobis unquam occasio vel in nosocomiis vel in carceribus vel in ipsis tabernis ac domibus; ubicumque egens auxilio frater occurrerit, feratis eidem opem; et si quem ex hac vita evocet Deus O. M. ne illo pudeat vos officio perfungi, quo piissimus ille senex Tobias Dei amorem beneficentiamque sibi conciliavit. Quae non sine ingenti populorum bono et incitamento ad pietatem Misericordiae Sodalitium exercet charitatis officia, ea et ipsi vestris praestate Paroeciae fratribus, atque ita vobis spirituales illos thesauros comparate, quorum vos etiam eritis aliquando participes. Suis adhibitis in consilium Coadiutoribus optimos illos honestosque fideles eliget quotannis Parochus, qui diversis charitatis officiis et sacris peragendis in Paroecia rebus operam impendant. Eius erit decernere, qui sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ad infirmos deducere, qui sepelire mortuos, qui aegros ad nosocomium deferre et eos iuxta atque detentos in vinculis invisere et ope aliqua sublevare, qui demum comparare pauperibus subsidia debeant; atque hi vere dicendi charitatis fratres. Affluentes opibus obtestor homines, ne tam praeclara renuant obire munera, sed id sibi ducant maxime gloriosum, uti optimus ille senex Tobias, qui licet tam claro genere natus, licet cum suomet ingenti periculo, nullum tamen praetermittebat diem, quin eadem haec erga suos fratres charitatis officia exerceret. Hortamur vero pauperes, ut secum animo reputent, eorum conditionem, cum in terras venit, praeoptasse Dei Filium; non igitur de ea conquerantur, nec iniquo animo ferant, sed in optimatibus divitibusque pronum ad miserationem animum se gaudeant invenire. Dico iterum omnibus, ipsi vos veluti fratres eiusdemque corporis membra habetote. Quotquot Dei Ecclesiam constituunt, sive adhuc viventes, seu iam vita functos fideles diligite: Id namque exigit Sanctorum communio. Sed praecipuo eos amore et beneficentia prosequamini, qui propius vobis adsunt, qui in eadem Paroecia veluti in una eademque familia vobiscum degunt. Nisi diligitis proximos et eos in quos vult Deus Opt. Max., ut maxime benefici sitis ac liberales, quaenam mihi superest spes fore ut eos, qui longe absunt, diligatis?

Gra-

Gratia Domini nostri Iesu Christi et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum vobis omnibus. D. Paulus 2. ad Corinth. c. 13. v. 13.

Dat. Prati postrid. Non. Ianuar. 1784.

N. X.

Epistola ad omnes Vicarios Foraneos ab Episcopo data, cum Librum ad eos misit qui inscribitur: Trattato Storico-Dogmatico-critico delle Indulgenze.

Cum in iis quae ad poenitentiam pertinent imminuta admodum sit ac remissa Ecclesiae disciplina, hinc factum est, ut Christi-fideles falsa et absurda sentiant de sacris illis expiationibus, quae Indulgentiae dicuntur, quasque Ecclesia auctoritate clavium sibi a divino suo Auctore tradita per suos Ministros iis largitur, quos vere illorum poenitet quae improbe ac nefarie admiserunt. Ad rem illustrandam, quam Scholasticorum turba tot inanium disputationum spinis implicaverat, optimum meis precibus Sacerdotem adduxi, ut de ea librum conscriberet Christianis accommodatum etiam rudioribus edocendis, quibus curae est Religionem quam profitentur apprime cognoscere. Nonnulla huiusce libri ad te exempla mittimus, ut ea meo nomine iis distribuas, qui conventibus illis praesunt, quos statis quibusdam temporibus tui Vicariatus Parochi de rebus Religionem moresque spectantibus collocuturi habere solent. Cum de gravissima huiusmodi re in Synodo agendum nobis sit, ita vellem, ut in hisce Conventibus hic legatur attente liber, atque ita detur sapientissimis Parochorum animadversionibus locus. Id eos praemonere eo magis officii mei esse existimavi, quod Pastoralis quaedam Epistola quam quidam e meis Decessoribus pluribus ab hinc annis in lucem edidit, quaeque *Supplementis Synodalibus* inserta legitur, intelligi perperam poterat. Res nondum admodum clare patebant, et quasdam densis nimium tenebris superiorum temporum calamitas quasdam veritates obduxerat, quas modo splendidiori in lumine collocatas divino beneficio intuemur. Falsae illae, quas nonnulli, qui vel stipem importune quaeritant vel fabulosas ina-

inanesque narrationes venditant, pietatis quidem specie, sed revera lucri cupiditate ducti rure praesertim disseminabant Indulgentias, Pastorum saepius animadversionem diligentiamque excitaverant; et eximium Religiosi Principis studium huic malo quam celerrime occurrit. Id duobus nondum elapsis annis revera factum est ob falsas cuiusdam Congregationis Indulgentias, quam sub Trinitatis titulo furtim moliebantur inducere, nec non illarum causa, quae in quodam libello venditabantur, iterum Florentiae edito, in quo nonnulla non minus ridicula quam superstitiosa proponebantur pietatis officia ad celebrandum Christi Domini natalis diem se paraturis. Duobus hisce libellis permotus meum esse intellexi dare ad omnes Parochos literas uti iam postrid. Non. Decembris an. 1784. revera dedi. Sed neque Pastorum studium neque religiosa Principis vigilantia satis validum sunt adversus zizaniorum satoris artes fraudesque praesidium, nisi hominum mentibus Iesu Christi gratiae lumen affulgeat. Quod ut impetremus, ardentissimis precibus Deum exoremus; ac ne interim quantum in nobis est omittamus, tibi, admodum Reverende Domine, curae erit, ut a tui Vicariatus Parochis chartae quaelibet tollantur, quibus falsae essent Indulgentiae propositae; efficiesque, ut eas omnes descriptas habeam, quae in quavis Paroecia reperiuntur, atque interim meae etiam Curiae Ministris mandabo, ut nulla deinceps Indulgentia nisi diligentius expensa concedatur. Ut has redditas tibi fuisse literas significes, expecto, et me observantiae erga te plenum esse profiteor, tuique,

Admodum Reverende Domine,

Pistorii XIII. Kal. Iun. 1786.

Servum Fratremque amantissimum,
SCIPIO PISTORIEN. ET PRATEN. EPISC.

NUM.

N. XI.

Epistola Secretarii Regii Iuris de casibus reservatis.

Etsi optimum sanctissimumque esse possit quidquid in gravioribus reservandis criminibus sibi Ecclesia proposuit, ne scilicet eadem remittendi omnibus omnino confessionis Ministris tribueret facultatem; cum tamen Regia Celsitudo intelligat, quanto uneri, quot sumptibus et incommodis, fortasse etiam spirituali detrimento subditis sit, eo se se conferre, ubi Episcopi resident, quoties in huiusmodi culpas miserrime prolabuntur, magnam spem habet, eosdem Episcopos providentissimis paterni illius animi curis consiliisque inhaerenter facturos, ut suae Dioecesis fideles perquam commode possint suae quisque conscientiae officiis satisfacere. Integra ergo relinquens eorum auctoritatis iura illud expedire plurimum censet, ut omnes Magni Ducatus Episcopi, aut qui, licet extra eiusdem fines sedem habeant, ibidem tamen spiritualem iurisdictionem exercent, omnibus omnino Parochis reservatas in suis Dioecesibus culpas remittendi facultatem delegent.

Haec piissima Magni Ducis consilia tibi significare honori mihi est, et certo futurum confido, ut iisdem inhaerens ad conficiendum edendumque delegationis decretum statim devenias. Oro tamen te, ut cuiuslibet vitandi impedimenti causa eiusdem decreti exemplum ad me antea mittas. Te interim plurimi faciens, et observantiae erga te plenus tui me esse profiteor,

Illustrissime ac Reverendissime Praesul,

Florentiae ex Regii Iuris Secret. Kal. Febr. 1785.

Ad Pistoriensem et Pratensem
Episcopum.

Addictiss. Obsequentiss. Servum
Vincentius Martini.

N. XII.

N. XII.

Episcopi de Casuum reservatione Literae.

Scipio de Ricciis divina miseratione Pistoriensis et Pratensis Episcopus carissimis sibi Parochis spiritum sapientiae et intelligentiae.

Et si publicam poenitentiam per Sanctos Ecclesiae Canones in graviora quaedam crimina constitutam calamitate temporum ferme penitus oblivio deleverit, aliquod tamen extat adhuc necessariae huius ac perutilis, quae olim erga poenitentes servabatur, disciplinae in Casuum reservatione vestigium. Quo tempore Dioeceses instar amplissimae Paroeciae erant, adhibito in consilium Clero, poenitentiam imponebat Episcopus, et postquam peccatores in totius Ecclesiae conspectu per diutinas preces et actam severe et laboriose vitam admissas culpas expiaverant, adstante Coadiutorum coetu, reconciliationis beneficium eisdem impertiebat. Cuius quidem veniae concedendae facultatem Canones ita asserebant uni Episcopo, ut id liceret praeterea nemini, nisi idem vel iussisset, vel abesset Episcopus, vel necessitas postularet. Aucta Fidelium multitudine, prolatis longe lateque et divisis in suas Paroecias Dioecesibus, tum locorum distantia, tum rerum, quae passim contingebant, frequentia et varietate factum est, ut et saepius et magis necessario secundi ordinis Pastoribus hanc publicos Poenitentes reconciliandi facultatem debuerint Episcopi delegare. Remisso interim hoc saluberrimo poenitentiae rigore ab imponenda publica pro occultis criminibus poenitentia paulatim cessatum est. Si quid semel remissum de aliqua re fuerit, plerumque fit, ut plurima remittantur; eoque iam ventum est, ut Ecclesia satis habeat optare vehementer instaurationem felicissimorum illorum temporum, quibus publica poenitentium reconciliatio iucundissimum hominum ad Deum vere conversorum spectaculum praebebat. Huic disciplinae remissioni, quae ex eo originem magna ex parte ducit, quod nullae amplius, vel raro admodum Dioecesanae vel Provinciales habeantur Synodi, occurri aliquo modo posse visum est, si casuum augerentur reservationes. Sed cum in malis gravissimis

simis validissima etiam, nisi recte adhibeantur, vel noxia vel irrita remedia fiant, ita nunc reapse contigit; maior enim reservationum numerus in causa fuit, ut quaedam crimina videantur minus graviora, et quorumdam poenitentiae Ministrorum in ea potestate, quae interdum ipsis delegatur, exercenda facilitas atque indulgentia in eam opinionem Fideles adduxit, ob speciem tantum disciplinae eam postulari. Pluribus huiusmodi incommodis spero nos aliquod remedium adhibituros in Synodo, quae, si Deo placet, habebitur. Ad hoc Principis nostri Religio per ea, quae sapienter providet, continenter nos excitat; atque idem Romanus Pontifex, cui in unitatis argumentum retuli, quo huius Dioecesis res loco sint, plurima illa quae Principis auctoritate ac praesidio gesta et provisa sunt, laudans, propter illam, quam habet, omnium Ecclesiarum sollicitudinem me ad eam celebrandam adhortatur, sapienter animadvertens, quam utile sit una simul convenire Pastores tum de Ecclesiae bonis, tum de malis, quibus ipsa obruitur, collocuturos. Huic rei, fateor, partim occurritur, dum una simul Vicarii Foranei quotannis conveniunt et de cuiusque Paroeciae statu referunt; sed haec video longe minora esse remedia malo. Dum interim tempus illud expectamus, quo ab universo Pastorum coetu ea decernantur, quae magis videbuntur expedire, memorato veterum Episcoporum exemplo inhaerens, et maximam in prudenti meorum Adiutorum studio positam spem habens eorum singulis delego suae Paroeciae fideles a reservatis criminibus absolvendi potestatem. Quam potestatem ipsis unice tribuens, ut illam ubi opus fuerit, in suae quisque Paroeciae Fideles exerceant, spero eos deinceps ad spirituale animarum bonum eadem usuros; et ideo assiduis Deum exorabo precibus, ut in servandis Christianae poenitentiae regulis intelligentiae spiritum omnium animis immittere dignetur, quo sperari merito possit futurum, ut peccatores Deo plenissime reconcilientur.

Det nobis Dominus sapientiam ad discernendum iudicium.

Dat. Prati Kal. Martii 1785.

SCIPIO PISTORIEN. ET PRATEN. EPISC.

N. XIII.

N. XIII.

De Inquisitionis Tribunali in Etruria abolendo Edictum.

PETRUS LEOPOLDUS

DIVINA MISERATIONE R. HUNGAR. ET BOHEM. PRINCEPS

ARCHIDUX AUSTRIAE

MAGNUS ETRURIAE DUX etc. etc. etc.

Cum persuasum penitus habeamus nostri adeo muneris esse ea omnia adhibere remedia, quae a Regia ipsa auctoritate nobis suppeditantur, ad tuendam conservandamque sanctissimae nostrae Religionis integritatem, ut hoc a Regni procuratione seiungi nequeat, attento, quo par est, animo expendere constituimus Tribunalis illius iura, quod S. Officii nomine nuncupatur, nec non suscepta diversis temporibus in nostra hac felicissima ditione consilia ad illius Ministros iis finibus continendos, qui vero religionis studio et veterum Ecclesiae temporum exemplo praescribuntur, ubi curae erat perditos homines atque a recto virtutis verique tramite miserrime aberrantes non torquere suppliciis, sed lenitate ac benevolentia ad fidem bonamque frugem revocare.

Quod si duodecim iam elapsis Saeculis Ecclesiae visum est a sancta huiusmodi lenitate aliquantum recedere, et Tribunalia quaedam erigere severis praeter morem editis legibus, quae cum Episcoporum auctoritate certe componi non poterant, quippe qui fidei causas amplius cognoscere vetabantur, eam ad id novis omnino circumstantiis atque ipsa temporum calamitate adigi potuisse animadvertimus. Iis vero sublatis e medio causis, ob quas videri poterat ferendum hoc malum, ut malo graviori oc-

occurreretur, plerique Principes ac Respublicae vel Sancti Officii Tribunali penitus abrogato, vel eiusdem temperatis legibus atque institutis, publicae tranquillitati consuluerunt.

At prae ceteris quidem omnibus, quae suscipi poterant, consiliis illud prudentissimum efficacissimumque habendum nobis esse existimamus, quod Augustissimo Patri nostro gloriosae memoriae Principi An. 1745. inire placuit; ex quo tempore irregularis atque tyrannica agendi ratio, qua saepe antea Inquisitores in Etruria usi fuerant, cessare visa est.

Verum S. Officii Tribunalia nullius in Etruria utilitatis esse considerantes; tum sacrum fidei depositum fuisse divinitus Episcopis traditum; inferri iisdem iniuriam, si quod in eorum auctoritate gravissimum est, commune aliis fiat; eademque auctoritate maiori studio et qua maxima poterunt vigilantia eosdem Episcopos usuros, si ipsis unice reddenda Deo ac Principi huiusce rei ratio sit; haec nempe considerantes animoque reputantes.

Inquisitionis Tribunal in felicissima ditione nostra penitus aboleri constituimus, uti revera omni illa suprema qua pollemus auctoritate tollimus atque abolemus, imperantes;

I. Ut statim ac promulgatum fuerit hoc Regium Edictum; Inquisitores eorumque Scribae, Vicarii Foranei, et quivis alius S. Officii Administer omnem prorsus auctoritatem amittant, cuius usum nobis hactenus tolerare placuit.

II. Ut sublato protinus ac deleto ex foribus externis illarum aedium, quae Florentiae, Senis, Pisis addictae Inquisitionis Tribunali erant, quovis epigrammate, titulo, vel alio signo, ex quo ibidem fuisse olim Inquisitionis sedem possit argui, eaedem illae aedes singulis adeo iungentur includenturque coenobiis, ut nullus alius quam per commune Coenobii ostium ad illas aditus pateat.

III. Ut Florentiae summus Magistratus, Regius Auditor Senis, Pisis vero et Liburni Auditores Vicarii bonorum mobilium atque immobilium, quae ad S. Officium pertinent, nostro nomine possessionem adeant.

IV. Ut statim Inquisitores et quivis alius Administer et Vicarius Foraneus nisi in regiam nostram indignationem velint incurrere, Tabularia, Acta, causarum instrumenta, et aliud quodvis scriptum, quod ad abrogatum ipsorum munus utcumque pertineat, suis quisque Episcopis tradant, certum exigentes traditionis testimonium, quod ad Auditorem, qui a secretis Regii Iuris est, quamprimum mittent.

V.

V. Ut fundi ac reditus, quos Inquisitionis Tribunal in Etruria possidebat, vel qui eidem fuerant attributi, Parochialibus illis addicantur, atque erogentur Ecclesiis, quae vel instauratione vel maiori stipendio indigent.

VI. Ut quod occupatum iniuste fuerat, Fidei causas cognoscendi ius omnino restituatur Episcopis; et in iis agendis eadem omnino forma et ratio servetur, quae in caeteris omnibus Ecclesiasticis, quae de crimine habentur, quaestionibus servari solet.

Confidimus autem Episcopos hanc sibi legem sponte facturos, ut semper meminerint severissimam et terroris plenam quaestionis et damnatorii iudicii rationem peioris interdum exempli esse, quam sit error imprudens; corrigendis sontibus, aliisque edocendis multo aptiora esse monita, hortamenta, et quidquid pastoralis illa moderatio et charitas suadebit, quam in illum etiam finem colere ex officio debent, ut optimo aliis exemplo sint. Quod si res postulabit, ut adhibeatur severitas, et Regiae potestatis auxilio opus sit, quoties facti certiores fuerimus, memorata superius frustra adhibita fuisse remedia, illud etiam auxilium praebere nostri esse officii existimabimus.

Ea nobis mens ac voluntas est, quam ab omnibus observari inviolate iubemus, quibuscumque legibus, mandatis, consuetudinibus, ac privilegiis huic nostrae Constitutioni quomodocumque contrariis, tota qua pollemus Regia potestate derogantes.

Dat. III. Non. Iul. Anno millesimo septingentesimo octogesimo secundo.

PETRUS LEOPOLDUS

V. ALBERTI

FRANCISCUS SERATTI

N. XIV.

Magni Etruriae Ducis de Pistoriensis urbis Paroeciis Mandatum.

Regia Celsitudo secum animo reputans subditarum sibi gentium bonum, atque optimam Ecclesiae procurationem postulare, ut ea, quae pro externo templorum cultu, sacrorumque ministrorum victu Fidelium pietas Deo devoverit, iuste apteque distribuantur, ne illud eveniat, ut, nonnullis rerum inopia laborantibus Ecclesiis, complures interea Clerici nimiis reditibus affluant: crebris etiam plurimorum vehementer id conquerentium vocibus certior facta, in urbe praesertim Pistorio huiusmodi incommodum hactenus viguisse: in ea enim urbe quaedam saecularium sacerdotum sodalitia amplissimo utebantur patrimonio, quin populis, ut par erat, vel eos edocendo, vel Sacramentis administrandis inservirent; contra vero ex ingenti Paroeciarum numero complures sunt, et exiguis opibus instructae, et parum decenti parumque populis apto, atque idoneo loco positae, Pistoriensi adhibito in consilium Episcopo, ac rebus mature consideratis, ea, qua pollet, accepta Divinitus-potestate ad populorum, quos ei regendos Deus ipse tradidit, tuenda commoda, augendamque, quam se profiteri gloriatur, Religionem, tollere, atque abolere constituit, uti revera tollit atque abolet, trium Congregationum coetus, quarum altera Sancti Spiritus, Trinitatis altera, tertia S. Mariae in Platea nomine ac titulo insignitur; Urbanas item Paroecias ad minorem numerum redigi, ac rursus describi iubet, nec non delendas praecipit alias quaslibet tum Clericorum, tum Laicorum sodalitates, eo prorsus modo, ea norma, iisque legibus, uti in sequentibus articulis decernitur ac declaratur.

I. Mandat primo, ut deletarum Congregationum sodalibus id statuatur stipendium, quod neque minus duobus, nec quinque, ut aiunt, scutatis maius sit, quolibet mense pro cuiusque merito singulis erogandum. Quantum vero statui unicuique possit, proponat quamprimum Episcopus, imposito singulis alicui Paroeciae festis diebus inserviendi one-

onere, aut aliud, quod ipsi videbitur, munus exercendi.

II. Vivis adhuc sodalibus facultas esto nominandi puellas, quibus eae conferantur dotes, ad quas ius ante habuissent, modo eaedem sorores sint, vel fratris filiae, praeterea nullas.

III. In sodalium numero nequaquam habendi sunt Clerici nondum sacris Ordinibus initiati, licet ad obtinendum in Congregatione sodalis locum advocati, aut electi fuerint. Vult tamen, ut aliqua ipsorum habeatur ratio, atque in admittendis in Ecclesiasticam S. Leopoldi Academiam Clericis, et in Ecclesiarum, aut Beneficiorum collatione praeferantur caeteris, si indubia vocationis, aut proni ad Ecclesiasticum amplectendum statum ingenii argumenta praebeant.

IV. Ut eorum etiam ratio merito habeatur, quibus vocandi, seu eligendi Congregationis S. Mariae Sodales, vel fratres ius erat, tres singulis annis institui dotes iubet, quarum singulae quindecim scutatis constent, puellis familiarum, quae iuspatronatus habent, vicissim, atque alternis conferendas, et quo tempore nupserint, percipiendas. Si autem in patronorum familiis nullae sint puellae, quibus conferantur dotes, quo tempore Congregationis S. Mariae Sodales vixerint, eorum sororibus, aut filiabus fratris idem ius esto. Ubi vero contigerit, ut vel Patronorum extinguantur familiae, vel nullae sint puellae, quae dotes huiusmodi consequi possint, ius alternis transeat ad puellas in iis Conservatoriis degentes, quae vulgo dicuntur *delle Abbandonate*, *e delle Crocifissine*.

V. Si Congregationum Sodales, quibus stipendium aut pensio concessa est, Parochi, aut Capellani animarum curae inservientis munus obtinuerint, attributa iis pensio statim cesset.

VI. Animadvertens quoque, nonnullos iam in deletas Congregationes fuisse adscitos, licet nullum ad certum usque tempus emolumentum inde posset ab iis percipi, REGIA CELSITUDO mandat, ut in conferendo aliquo Capellani officio iidem caeteris praeferantur, si tamen facto ante ipsorum doctrinae periculo ii deprehendantur, qui rite sancteque huiusmodi munus exerceant. Secus vero, modo sacerdotes sint integritate morum, atque honestate vitae probati, et Episcopi decreto factum sit, ne sodalitatis iure, ac bonis fruerentur, veluti caeteri Congregationum Sodales habentor.

VII. Idem prorsus de iis praecipit, qui Substituti nomine complures annos earumdem Congregationum choris adfuerint.

VIII. Ea quoque Magni Ducis mens est, ut decem tantum praeter principem Ecclesiam in tota urbe Paroeciae sint, nimirum S. Andreae, S. Ioannis extra Civitatem, S. Pauli, B. Mariae Virginis sub Humilitatis titulo, S. Vitalis, S. Petri Maioris, S. Bartholomaei, S. Leonardi, S. Spiritus, e S. Prosperi. Quibus vero finibus contineri, et quam late patere quaelibet Paroecia debeat, Episcopi erit constituere.

IX. Caeterae omnes Paroeciae eo delendae modo, quo dicetur inferius, vel statim, assentientibus iis, qui eas in praesens obtinent, vel ubi primum contigerit, ut suis pastoribus vacent.

X. Sed cum Regiae Celsitudini maxime cordi sit, ut edoceatur rite populus, ac Paroeciis sedulo inserviatur, in qualibet Paroecia praeter eum, qui eidem est primo loco praepositus, quatuor vult Capellanos esse, qui una cum Parocho praeside, eiusque voluntati obsequentes curam animarum exerceant.

XI. Huiusmodi vero Capellaniae immotae, ac perpetuae sunto, neque obtineri ab iis possint, qui sint alio Beneficio praesentiam atque assiduitatem Beneficiarii postulante instructi: neque per alium Capellani arbitrio electum, atque in suum locum suffectum exerceri valeant. Sunto etiam huiusmodi Capellaniae legitimus Ordinationis titulus.

XII. In conferendis autem tum Paroeciis, tum Capellaniis, ex praescripto legum, quae adhuc vigent, publicum fiat Competitorum periculum, aut examen, ad quod, si Ecclesiae bonum ac necessitas postulet, admitti etiam Regulares poterunt; modo antea id, ut par est, ad Regiam Celsitudinem deferatur. Et cum aequum sit, ut ratio habeatur illarum familiarum, ad quas duas illas Ecclesias conferendi ius pertinet, quarum altera dicitur *di Ripalta*, altera S. Petri *in Strada*, atque in delendarum Paroeciarum numero utraque sit, agat cum iis Episcopus de patronatus iure iisdem concedendo in binas Capellanias animarum curam habentes, ut eodem utantur, ex iis, qui per examen probati fuerint, quemcumque voluerint, eligentes.

XIII. Qui Archipresbyteratus dignitatem in Cathedrali Ecclesia obtinet, sit semper eiusdem Ecclesiae Parochus; quae

quae etiam dignitas per publicum examen, sive, ut vulgo dicunt, concursum conferatur. Ut vero idem ipsi, ac caeteris urbis Parochis conficiatur stipendium, aliquod eidem dignitati Beneficium addici poterit.

XIV. Parochi vero Ecclesiarum S. Mariae, quae dicitur *del Bambino*, S. Iacobi *in Castellare*, S. Mariae *in borgo Strada*, S. Salvatoris, cum huiusmodi Paroeciae delendae sint, Ecclesiae Cathedrali intersint atque inserviant una cum Archipresbytero, atque ad eius voluntatem, nutumque confessiones audiant, aliaque obeant Parochi munia, ac vel in Canonicorum aedibus, vel proximo loco sedes iisdem attribuatur. Quas vero nunc huiusmodi Ecclesiarum Parochi percipiunt praebendas, sunto stipendium Capellanorum, animarum curae in Cathedrali Ecclesia inservientium; quibus etiam aeque, ac caeteris Capellanis distributiones, aliaque emolumenta percipiendi ius esto. Vicissim quoque, atque alternis baptizandi fungantur officio, ubi primum defecerint, qui illud impraesentiarum exercent.

XV. Quod ad S. Bartholomaei Paroeciam pertinet, iisdem Monachis curae sit, ut praeter Parochum quatuor Sacerdotes adsint audiendis confessionibus idonei, qui ipsi Parocho in exercenda animarum cura opem ferant. Nec vero ex iis quisquam neque Parochus amoveri possint, nisi consentiente Episcopo, cum quo decernendum etiam erit, quid erogari ipsis pro peculiaribus eorum usibus a Monasterio deceat; Regia enim Celsitudo imperat, ut in eo, quod ad emolumenta pertinet, quae officii iure percipere hactenus consueverunt, ipsi etiam accurate servent, quidquid de ratione in aliis ecclesiis ineunda praecipitur.

XVI. Parochialis S. Prosperi Ecclesia per Sacerdotes Congregationis S. Philippi, ut antea, administretur, et si aliquo subsidio indigeant, ad omnia Paroeciae officia explenda gratuito, quemadmodum de aliis Ecclesiis praecipitur, decernet Episcopus una cum Congregationis Praefecto, quidquid sibi videbitur expedire.

XVII. In Ecclesia autem B. Mariae Virginis, quae Humilitatis titulo colitur, cum quotidie mane Missa, Vesperae post meridiem sint celebrandae cum cantu, praeter Parochum, et quatuor Capellanos animarum curam una cum ipso exercentes, sex alii instituantur Capellani Confessionibus audiendis idonei, ac per examen, sive concursum eligendi.

XVIII.

XVIII. Ecclesia, quae dicitur *degli Umiliati*, omnibus Paroeciae S. Vitalis usibus inservire poterit; de qua re esto facultas Episcopo agendi cum iis, cum quibus necesse sit.

XIX. Ad Paroeciam vero S. Leonardi quod attinet, in templo S. Marci, si id videatur commodius, Parochialia munera exerceantur, addita etiam huic Paroeciae ea populi parte, quae intra urbis moenia continetur.

XX. Tercenta Scutata annuum sunto Parochorum stipendium; Capellanorum vero, qui animarum curam cum iis gerunt, quadraginta quatuor supra centum. Percommoda omnibus procuranda domus, nec non prima et magis necessaria supellex, quae talis ac tanta sit, ut una simul vivere universi queant.

XXI. Per unionem vero Beneficiorum, et Capellarum, modo privati iuris patronatus non sint, tum ex distributionibus, quae in Humilitatis templo fieri consueverant, sex aliis Capellanis eidem Ecclesiae superadditis decem scutatorum stipendium singulis mensibus exigent ab eiusdem Ecclesiae procuratore, qui Beneficiorum, Capellarum, piorumque Legatorum huic rei inservientium fructus seu reditus adminstrabit. Singuli vero in eadem Ecclesia eiusdem oneribus satisfaciendi causa Missam celebrare teneantur, quin ullum aliud pro huiusmodi celebratione stipendium umquam percipiant.

XXII. Cum stipendio superius constituto urbanis tum Parochis, tum Capellanis sit satis abunde provisum, nil audeant umquam, nec pro celebratione Missae, nec pro Sacramentorum administratione accipere. Vetantur etiam quodlibet officii, sive, ut aiunt, Stolae emolumentum accipere, ac generatim omne, et cuiusvis generis stipendium vel pro funeribus, vel pro alia quavis Parochiali functione etiam sponte oblatum. Quod cum praecipiatur singulis ita religiose servandum, ut sine culpa negligi non posse credant, in eam spem REGIA CELSITUDO et eorum ministerii sanctitate et Episcopi vigilantia adducitur, ut in exequendis Paroeciae muneribus vacuus semper lucri cupiditate ipsorum animus, et sincera in omnes charitas elucescat.

XXIII. Quoties vita functis vel pauperibus, vel divitibus, atque optimatibus iusta sunt persolvenda, totum in Rituali libro praescriptum per Parochum, et Capellanos celebretur Officium, quin, ut paulo superius dictum est, ali-

Google

aliquid exigere iisdem liceat. Suadendi vero, hortandique affluentes opibus homines, ut in pauperum Paroeciae arculam stipem aliquam conferant; in qua etiam collecta ex venditis cerae ad templum tunc temporis allatae reliquiis reponenda pecunia est: salva tamen atque integra manente, ubi vigeat, eas tradendi consuetudine suis cuiuslibet Ecclesiae, ut aiunt, operis aut coetibus, quorum est ipsius Ecclesiae usibus necessitatibusque consulere.

XXIV. Parochus, et Capellani in sua quisque Ecclesia Missae sacrum faciant; neque ab ea sine Episcopi, aut eius Vicarii facultate discedere umquam possint. Missae vero horis diversis, atque in tabula Episcopi subscriptione munita descriptis celebrentur, ac diebus festis canenda mane Missa, Vesperae post meridiem.

XXV. Quolibet festo die Parochus, vel Capellanus aliquis Parochialis Missae tempore concionem habebit ad populum, in qua perlectum in Missa Evangelium exponet: post meridiem vero non modo tradentur pueris, atque alio seorsum loco puellis praecipua Christianae doctrinae rudimenta, sed fiet etiam Cathechismi ad Dioecesis usum propositi explanatio.

XXVI. Prima cuiusvis mensis die non impedita Nocturnus, ac Missa pro vita functis Fidelibus canitor.

XXVII. Parochi autem, eorumque Capellani in iis, quae Religionem spectant, ubicumque episcopo expedire videbitur, adsint Monialibus, quae eorum Paroeciae finibus continentur, quin ullum pro hac re emolumentum exigere possint; atque in earum Ecclesiis sacra omnia officia peragant iis diebus, quibus deletarum Congregationum erat eadem celebrare; nisi tamen sedulum Paroeciae ministerium impediatur.

XXVIII. In qualibet Parochiali Ecclesia capsula esto, in qua erogata Paroeciae pauperibus subsidia reponantur. Parochus vero adhibitis Capellanis, et consulto Episcopo eadem distribuat.

XXIX. In cuiusvis Parochialis Ecclesiae sacrario tabella adsit, in qua omnium de singulis Paroeciis Congregationibusque meritorum optime hominum inscripta sint nomina, praecipuam ipsorum tum Parochi, tum Capellani in conficiendo Sacro, aliisque publicis precationibus mentionem faciant.

XXX. Tam multis Capellis, piisque Missarum, et Officiorum Legatis, quibus satisfaciendi onus Congregationum,

ac Paroeciarum patrimoniis erat impositum, satis factum esse intelligatur per Parochos, et Capellanos eo prorsus modo, quo superioribus articulis est constitutum; idemque episcopus significare, ac declarare opportune poterit.

XXXI. Unum dumtaxat in qualibet Paroecia Sodalitium esto. Ad Parochum vero pertineat virorum mulierumque eidem adscribendarum delectus, quibus etiam diversa obeunda quotannis attribuet charitatis officia. Nulla iis imponetur solvenda pecuniae summa, nullum celebretur ab iis festum. Huius quoque Sodalitii sit Sanctissimum Christi Corpus ad infirmos deferendum, nec non in publicis supplicationibus prosequi; pauperum subsidia colligere; sepelire mortuos; Paroeciae aegrotos, aut carcere detentos invisere; omnia demum ex praescripto Episcopi pietatis, et charitatis munera exercere.

XXXII. Quaevis Paroecia praeter principem Ecclesiam aliam habeat aediculam, aut sacellum, quo Sodales ad sua obeunda pietatis officia convenire possint, et ubi pueri seorsum a puellis in Christiana doctrina erudiantur.

XXXIII. Animadvertens vero, quanto populi malo Parochiales deserantur Ecclesiae, contraque intelligens, illud maxime ex tam multis sacellis, Sodalitatumque conventibus proficisci; alias omnes Sodalitates in urbe aboleri abrogarique iubet. Salva tamen, atque integra maneant iura omnia, praerogativae, privilegia, actionesque quarumdam Familiarum in huiusmodi Sodalitatum patrimonia. Quare Communitatis Cancellario praecipit, ut referat, quae ineunda ratio sit, ut nemo inde quid detrimenti capiat, vel perceptis hactenus legitime proventibus fraudetur. Quidquid vero reliquum fuerit, in publicum bonum pro pauperibus erogari, impendique possit. Interim vero, donec aliter decernatur, idem, qui hactenus, huiusmodi patrimonia, aut reditus administret; eaedem distributiones, seu erogationes fiant; eadem pauperibus praebeantur subsidia; quorum omnium publico urbis Magistratui reddenda mox ratio erit.

XXXIV. Vult tamen, ut unum, quod dicitur, Misericordiae Sodalitium maneat, et Christianae pietatis pergat exercere munera; atque, ut praecipua eiusdem pro iis, quae assidue praestat, officiis habeatur ratio, eidem addici iubet deletae Congregationis SS. Trinitatis templum, quo convenire congregarique possit. Locus vero, in quo suos hactenus conventus habere consuevit, proximae S. Ioannis

Pa-

Paroeciae commoditati inserviat. Sumptus vero, vel ad exportationes, vel ad alios Sodalitii usus a Regio Ecclesiastici Patrimonii Procuratore suppeditentur, qui etiam, ubi alii desint proventus, alias omnes Sodalitati necessarias impensas suppleat; vult namque, ut nulla huius quoque Sodalitii sociis imperetur pecuniae summa.

XXXV. Omnia vero sacella, sacrae omnes delatarum Paroeciarum, Congregationum, Sodalitiorumque aedes, quae nulli usui Paroeciis esse videbuntur Episcopo, ubi spoliatae religione fuerint, veneant, et redactum ex venditis Sodalitiorum sacellis pretium in utilitatem cedat *Conservatorii*, quod dicitur *delle Abbandonate*.

XXXVI. Cum ut spirituali populorum procurationi sit melius consultum, nova extra portam, quae vulgo *al Borgo* dicitur, instituenda Paroecia sit, quae illius populi partis urbanis nunc Paroeciis obnoxiae commoditati inserviat, eam in S. Luciae Sacello, aut alio magis idoneo loco erigi iubet; eiusque Parocho duodecim scutatorum stipendium in singulos menses constituatur.

XXXVII. Detur tantumdem S. Mariae Virginis Parocho extra portam, quae vulgo *Carratica* dicitur. Utrique autem quivis alius proventus cesset, cum et ipsi ea servare Religiose debeant, quae num. 22. 23. 28. 29. praescribuntur.

XXXVIII. Quod vero ad S. Marci Paroeciam pertinet, ea populi pars, quae extra urbis moenia versatur, finitimis ruralibus Paroeciis addicatur, nisi nova instituenda videatur Paroecia. Tum enim assignari eidem poterit Capella, seu ut aiunt, *Officiatura Pagnozzi*, cui Congregatio S. Mariae *in Platea* satis faciebat. Sit vero Monachorum S. Bartholomaei supplere caetera, quae congruum Parocho stipendium conficiant.

XXXIX. Sacra Paroeciarum, Sodalitiorum, Congregationumque deletarum supellex, sumptis sepositisque ab Episcopo, quaecumque non ad inanem pompam, sed ad decentem omnium urbis, ac totius Dioeceseos Ecclesiarum ornatum necessaria videbuntur, a Regio Ecclesiastici Patrimonii Procuratore vendenda curetur, atque in eiusdem Patrimonii bonum redacta inde pecunia cedat.

XL. Congregationum Patrimonio coagmentetur omnium etiam Paroeciarum Patrimonium; cuius quidem Regius Procurator statim possessionem adeat, si Parochi consentiant;

secus

secus vero, ubi primum suo Pastore Ecclesiae viduentur.

XLI. *Operae* sumptibus, ubi ea adsit, tum cereae faces, tum sacra supellex compareter, nec non templi fabrica, atque ipsae Parochi aedes sarctae tectae serventur. Sin *Opera* desit, vel huiusmodi sumptibus illius non sint reditus pares, ea, quae desunt, Regius Procurator suppeditet. Illud tamen REGIA CELSITUDO futurum sperat, ut sublatis omnino supervacaneis, nimiumque splendidis sumptibus nullo Paroeciae subsidio indigeant, si una S. Mariae Virginis extra Florentinam Portam Paroecia excipiatur.

XLII. Dotalia subsidia, quae ex deletarum Paroeciarum, Congregationumque patrimoniis conferri consueverant, erogentur, ut antea, iis, quibus debentur; qua de re Regius Procurator collocutus cum Parochis opportuno tempore referat.

XLIII. Si ex administratis deletarum Paroeciarum, Congregationumque patrimoniis ea supersint, quae satis esse possint, eadem proportione, ac legibus superius constitutis, cum de Paroeciis urbanis ageretur, REGIA CELSITUDO iubet, confici inde stipendium aliis Dioeceseos Parochis, iis praesertim, qui in montanis oppidis Ecclesias regunt, ita ut praeter domum Plebanis ducenta quadraginta scutata, centum vero Capellanis in singulos annos assignentur.

XLIV. Ad sublevandos inopes, quibus REGIA CELSITUDO vult maxime consuli, quaecumque ex huiusmodi patrimoniis redeunt, a Regio Ecclesiastici Patrimonii Procuratore apud Pistoriensis urbis Pium Montem deponi iubet, ea tamen lege, ut nullus amplius exigatur fructus, seu merces, nisi pignora sint decem scutatis maiora. Quam legem nisi Pii eiusdem Montis administri se accepturos profiteantur ac spondeant, alibi, ubi tuta esse possit, redacta ex Patrimoniis pecunia Regius idem Procurator, omni adhibita cautione, deponet. Tum vero liceat Praefecto *Divinae Providentiae Conservatorii*, in quo recens instituta est lanariae officina, eadem pecunia uti ad lanificium ipsum in pauperum bonum augendum, ita ut maior opificum numerus occupari possit. Regius tamen Procurator caveat, ut eam penes se habeat pecuniae summam, quae solvendo sine mora singulis mensibus cuilibet Parocho vel Capellano suo stipendio sufficiat.

XLV. Nisi Parochi ac Beneficiarii ultro assentiant, ut deleantur unianturve Paroeciae, aut Beneficia, quibus in praesens utuntur, quidquid de iis constitutum est, tunc efficiatur, cum Paroeciae ipsae, aut Beneficia vacaverint.

XLVI. Quod vero ad Congregationes, Sodalitatesque delendas pertinet, id omnino fiat Kal. Augusti, ex qua die menstruum sodalibus stipendium procedere incipiat.

XLVII. Quin autem vel quo tempore, vel qua ratione perficienda sint caetera, speciatim decernat, tribuit Episcopo ea exequendi facultatem, ubi primum id ei videbitur expedire, iis omnibus, quae superioribus articulis continentur, accurate servatis. Ad ea autem exequenda cum Episcopo Regius Procurator conspiret. Sibi vero REGIA CELSITUDO reservat iis omnibus consulendi curam, quae res tempusque necessario postulare videbitur. Sit publici Cancellarii haec mandata exequi in iis omnibus, quae speciatim ipse iubetur peragere. Atque haec est Magni Ducis mens, quae ut plenissime adimpleatur, ipse praecipit, contrariis quibuscumque mandatis, legibus, decretis hac vice derogans, quantum necesse fuerit.

Dat. XII. Kal. Aug. 1783.

PETRUS LEOPOLDUS.

V. ALBERTI

F. SERATTI.

N. XV.

N. XV.

Magni Ducis Mandatum, quo multa praescribuntur de Paroeciis, quas conferendi ius habet Princeps etc.

Sui esse officii Regia Celsitudo existimat in dies magis cavere, ut idonei eligantur Ministri ad eas Paroecias regendas, quae Regii, publici, popularis, aut mixti iuris Patronatus sunt; eidemque maxime cordi est, quemlibet in re tam gravi et cum divino ministerio populorumque bono adeo coniuncta abusum praevertere: praecipit ergo ut quoties Paroeciae illae vacaverint, servetur in posterum accurate quod sequitur.

Statim ac contigerit, ut aliqua suo Pastore vacet Ecclesia tum Regii iuris Patronatus ac publici, sive hoc ad Nosocomia, ad Florentinos Magistratus, ad Communitates, ad pia loca vel ad publica alia corpora spectet tum conferenda per Populum, publici omnes Scribae, quorum Cancellariae finibus Ecclesia illa continetur, publicis affigenda locis edicta curabunt, quibus ii omnes qui id munus petere velint, moneantur, ut intra dies quindecim suum dent apud eosdem Scribas nomen ea expressis verbis enunciata lege, ut hoc exacto temporis spatio nulla neque audiantur neque admittantur postulata, iique omnino reiiciantur, qui non sint Regiae Celsitudini subiecti, nisi impetratam a Principe veniam exhibuerint, nec non qui quartum et vigesimum non attigerint aetatis annum, iisque dotibus careant, quae ex vigentibus Mandatis ac legibus requiruntur.

Eadem servanda ratio erit quod ad illas Ecclesias pertinet, quae mixti iuris Patronatus sunt, quoties contigerit, ut aliqua suo Pastore vacet Ecclesia, cuius conferendae ius Princeps habet.

Ubi primum definitum per Edicta tempus elapsum fuerit, non ad Senatorem tantum, qui a secretis Regii iuris est; sed et ad Archiepiscopum vel Episcopum, in cuius Dioecesi vacans Pastore Ecclesia versatur, nec non ad Praetores, quorum provinciam incolere se postulantes dixerint, et quod ad Senensem ditionem spectat, ad generalem Senensem Legatum et ad inferioris Senensis Provinciae Procuratorem,

po-

postulantium ipsorum Album Scribae Civitatis seu Communitatis mittent..

Ubi agetur de Ecclesiis, quae Etruriae quidem finibus continentur, sed ad Dioecesim spectant, cuius Episcopus extra hanc ditionem sedem habet, huiusmodi Album illi tradendum est ac mittendum Episcopo. qui eidem est Dioecesi proximus, in qua vacans Ecclesia sita est.

Iidem vero Communitatum Scribae deinceps liberantur ab onere mittendi memoratum Album ad eum qui publicis rationibus sive ut aiunt Communitatum Aerario aut Camerae Florentiae praeest, et si de Pisana Urbe agitur, ad Fluminum Curatorem, uti de Ecclesiis per populum conferendis praescribebatur per Mandata a deleto IX. Virorum Magistratu edita, et XVI. Kal. Decembr. An. 1779. instaurata.

Cum maximam Regia Celsitudo spem habeat Archiepiscopos et Episcopos de optimo Parochorum delectu fore valde sollicitos, postulantium doctrinae periculum faciendi curam iisdem committit loco eorum, quibus antea speciatim id munus a Principe demandatum erat. Itaque accepto a Communitatum Scribis eorumdem Albo curae ipsis erit, ut coram se huiusmodi periculum quamprimum fiat, iis reiectis quibus Canonicum aliquod impedimentum officeret.

Quidquid vero ex huiusmodi periculo Archiepiscopi et Episcopi cognoverint, scriptum Senatori referant qui a secretis Regii Iuris est, accurate exponentes, quem adprobationis gradum quisque obtinuerit, qui fuerint ex postulantibus reiecti, si forte ut aliquis reiiciatur aliquando contigerit; eodemque tempore significabunt, quae sit postulantium aetas, quae patria, qui mores, quae res familiaris, itemque an aliis fruantur Beneficiis. Quod vero ad eos pertinet, qui illius Dioecesis non sunt, idem qui postulantium doctrinae periculum facere debet Episcopus, earum rerum omnium cognitionem poterit a cuiusque Episcopo petere.

Cum vero Praetores eos interdum cognoscere melius possint, qui in earum provincia degunt, regiis Vicariis, Praetoribus, reliquisque omnibus iuri dicundo Praefectis Regia Celsitudo mandat, ut Senatorem qui a secretis Regii Iuris est de cuiuslibet postulantis aetate, patria, moribusque, tum an alia Beneficia possideat, et qui sit circiter cuiusque census, edoceant.

Haec iuri dicundo Praefecti, ubi primum Communitatum Scribae ad eos miserint illorum Album qui aliquam ex me-

moratis vacantem Pastore Ecclesiam petunt, quin identidem peculiare mandatum expectent, cognoscenda deinde, quam maxima celeritate poterunt, ad Senatorem qui a secretis Regii Iuris est distincta adeo narratione referenda curabunt, ut ab eo, qualis quisque revera sit, intelligi recte possit.

Cum vero ratio haec et constitutio Parochiales tantum Ecclesias spectet, nihil de Canonicatibus simplicibusque Beneficiis habeatur innovatum, sed de his illud ratum firmumque esto quod hactenus servatum est; una tamen semper atque eadem in Senensi iuxta ac Florentina ditione retineatur in rebus Beneficia spectantibus ratio, uti per rescriptum 19. elapsi mensis Maii die datum praecipitur.

Nihil REGIA CELSITUDO dubitat, quin Episcopi suum esse existimantes illius curis studiisque obsequi, quae nil aliud quam Religionis bonum, animarumque Parochis commissarum salutem spectant, sedulam daturi sint operam, ut huiusmodi postulantium doctrinae experimenta non quadam tantum specie, vel consuetudinis ergo, sed qua par est severitate fiant, eorum qui forte reiecti fuerint offensionibus et querelis omnino neglectis.

Qui vero a secretis regii iuris est, ubi memoratas cognitiones collegerit, cum accepto postulantium Albo easdem conferet, et si de Parochiali Ecclesia per Principem conferenda agatur, REGIAE CELSITUDINI significabit, qui probati per examen fuerint, quem quisque obtinuerit adprobationis gradum, qualis quisque sit, quibusque dotibus instructus; Principis vero erit eum prae caeteris eligere quemcumque voluerit.

Si autem de Paroeciis populi suffragio conferendis agitur, REGIA CELSITUDO praecipit, ut qui a secretis Regii Iuris est quamprimum eos populi suffragiis committendos curet qui probati fuerint, licet duo tantum sint aut etiam unus, et Communitatum Scribis significet postulantium populi suffragio committendorum nomina, inscripta chartae obsignatae, et iis inclusae literis, per quas mandatur, ut populus ad suffragia ferenda conveniat, vetans eam ab iisdem Scribis ante resignari, quam ipso ineundi suffragii tempore, iubensque ita delatae Paroeciae Actum vel Instrumentum confici, ut inde haec omnia diligenter ab iis fuisse perfecta luculenter appareat.

REGIA interim CELSITUDO id omne in caeteris quae vigent Constitutionibus confirmans, quod huic mandato non ob-

obversetur, eidem, qui a secretis Regii Iuris est, Senatori praecipit, ut huiusmodi mandatum ad Archiepiscopos et Episcopos, ad Praetores, et quod ad Senensem ditionem pertinet, ad generalem Senensem Legatum et inferioris Senensis Provinciae Procuratorem, necnon ad eum, qui publicis Rationibus et Communitatum Aerario praeest, Pisis vero ad fluminum Curatorem mittat, ut hi ad Communitatum Scribas illud mittere, et sedulam dare operam possint, ut inviolate servetur.

Dat. VI. Id. Quintiles 1781.

PETRUS LEOPOLDUS

V. ALBERTI.

F. SERATTI.

N. XVI.

Encyclica de Parochialibus privati iuris Patronatus Ecclesiis Epistola per eum data qui a secretis Regii Iuris est.

Cum REGIA CELSITUDO plane cognoscat quantum boni ex Parochis illis manare possit in populum, qui et idonei et bonae apud eum existimationis sunt, tibi iterum, Illustrissime Praesul, uti facio, significare me iubet, quantum ipsi curae sit, ut ad Parochiales privati iuris Patronatus Ecclesias non admittantur, nisi idonei et spectatae probitatis homines, ac te vehementer hortari, ut acerrime obsistas, si qui forte a Patronis nominentur eliganturque, quos vel indignos vel minime idoneos arbitraris; et pro certo habeas, tibi REGIAM CELSITUDINEM adfuturam, si forte iidem Patroni tibi quovis modo adversentur.

Dum haec Magni Ducis mandata, quae per litteras ab eo qui a secretis Principatus est III. Kal. Ianuar. accepi, tibi significandi honore dignor, teque oro, ut aliquod redditae

 tibi

tibi huiusce epistolae mihi praebeas argumentum, tui obsequentissime profiteri me posse glorior,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae XVII. Kal. Februar. 1782.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Stephanus Bertolini.

Ad Pistoriensem et Pratensem }
Episcopum. }

N. XVII.

Encyclica Epistola per eum data qui a Secretis Regii Iuris est, quae quoddam est Regii Mandati VI. Id. Quintil. An. 1781. editi additamentum.

Cum Regia Celsitudo suae ditionis Clericos maiori utilem Ecclesiae reique publicae operam praestandi studio inflammare velit, et simul cavere, ut praemia altari inservientibus assignata digniores assequantur, per mandatum prid. Id. huiusce mensis editum praecepit, ut quod alio mandato VI. Id. Quintil. An. 1781. edito praescribitur de instituendo eorum doctrinae experimento, qui ad Paroecias Regii, publici, et popularis iuris patronatus postulandas accedunt, intelligatur etiam praescriptum de omnibus cuiusque Cathedralis vel Collegiatae Ecclesiae Canonicatibus Dignitatibusque, vel ab ipso Principe conferendis, vel ad quas conferendas Magistratus, Universitates, vel Pia Loca eidem Principi subiecta iure Patronatus utuntur; derogans ad hoc memorati mandati loco, quo excipiuntur Canonicatus, nec non cuilibet contrariae legi, aut praescripto et institutionis pacto; integrum tamen esto quod de nonnullis Canonicatibus Dignitatibusque decretum est, ut nempe eas assequi nullus possit nisi ante per constitutum vigentibus Mandatis tempus in certo aliquo Etruriae Lyceo studiis operam dederit, ac deinceps Doctoris Lauream fuerit consecutus.

Cum vero piissima Regiae Celsitudinis consilia eo minime spectent, ut decus illud atque ornamentum quibus-
dam

dam Capitulis adimat, quod ex nobili eorum, qui eadem constituunt, genere profluit, ubi illud potest esse coniunctum cum optimo Ecclesiae ministerio quod spectari maxime debet, et cum iustitia, quae postulat, ut ii praemio donentur, et evehantur ad Dignitates, qui maioribus animi ingeniique dotibus praestant; si ergo par omnino virtus et doctrina fuerit, generis quoque nobilitatis, ubi id positum in more fuerit, rationem habebit; secus vero se geret, cum alius quispiam maiore virtute ac doctrina praestabit. Eos etiam ex postulantibus, si par omnium meritum ac virtus fuerit, REGIA CELSITUDO praeferet, si qui sunt eiusdem Civitatis et Loci, in quo Canonicatus vel Dignitas est constituta. REGIA item CELSITUDO vult, ut nulla habita postulantium aetatis ratione in Theologicis vel Sacri Iuris disciplinis experimentum versetur.

Haec Magni Ducis, ut accurate serventur, tibi mandata significans, tui me perquam reverenter esse profiteor,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae postrid. Kal. Mart. 1782.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Antonius Mormorai.

Ad Pistoriensem et Pratensem Episcopum.

N. XVIII.

Epistola a Regii Iuris Secretario data ad omnes Etruriae Episcopos de conferendis Canonicatibus.

Cum REGIA CELSITUDO sapienter animadverterit, ad animi cultum studiumque literarum promovendum in Clericis, efficiendumque, ut in Capitulis is adsit idoneorum Sacerdotum numerus, qui Episcopos in obeundis eorum ministerii muneribus adiuvare possit, opus sibi esse superiora

mandata de instituendo eorum etiam doctrinae periculo, qui Canonicatus petunt, latius protendere, praecepit, ut illi unice ac dumtaxat excipiantur, qui in Canonicos a privatis Patronis eliguntur sive Patronatus iure, quo aut nominare aut nominari possint; iuris enim Familiarum et Institutorum voluntatis humaniter rationem habere vult.

Ea Regiae Celsitudinis spes est, qui in Etruria resident Episcopi, quoties contigerit ut aliquis liberae collationis Canonicatus vacet iis mensibus quibus eumdem conferendi ius ipsi habent, eos tum aequissimis Magni Ducis consiliis, tum suamet ductos conscientia, qua in Ecclesiasticis conferendis Beneficiis digniores praeferre tenentur, sui esse officii existimaturos postulantium meritum, facto ante ipsorum doctrinae periculo, certo cognoscere, nisi forte praeter consuetudinem aliquando contigerit, ut huic legi derogare necesse habeant, vel ut debitam alicui seniori Parocho mercedem et aetatis vacationem tribuant, vel ut aliquo praemio rependant officia, quae quis reipublicae forte praestiterit, vel magistri munus exercens, vel concionatoris, vel aliud quodvis suae conditioni consentaneum, vel tandem ut aliquem probatae sapientiae ac virtutis virum ad Ecclesiae ministerium comparent. Quod vero ad reliquos omnes Canonicatus pertinet, nullo excepto, quicumque eadem conferendi ius habeat, praesertim ad eos, qui quovis nomine ac titulo ab Apostolica ut aiunt Dataria atque ab Episcopis in Etruria non residentibus conferuntur, Regia Celsitudo mandat, ut etiam in iisdem conferendis illa serventur, quae de Canonicatibus regii et publici iuris Patronatus per Encyclicam Epistolam postrid. Kal. elapsi proxime mensis Martii datam praescribuntur, expresse imperans ut nisi de Canonicatibus agatur vel privatorum nominatione, vel ordinaria Episcoporum in Etruria residentium auctoritate collatis, nunquam, neque ullam ob causam iis institutionum Actis vel Libellis, qui vulgo *Bolle* dicuntur, concedatur Regium *Exequatur*, nisi ab Actis exhibitis constet eos, quibus Canonicatus conferuntur, fuisse rite per examen probatos.

Cum a Regia Celsitudine iussus fuerim cuicumque, ad quem de his pertinet, significare ac praecipere quae necessaria de hac re sunt, et diligentissime cavere, ut accurate omnia perficiantur, meum officium est tibi etiam, Praesul Illustrissime, haec eadem significare; tuumque erit iisdem accurate inhaerere. Haec interim mandata ad te

per-

perlata fuisse oro certiorem me facias, tuique me obsequenter esse profiteor,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae ex R. I. Secret. postrid. Non. Iun. 1782.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Antonius Mormorai.

Ad Pistoriensem et Pratensem }
Episcopum. }

N. XIX.

Epistola a Secret. Regii Iuris data ad omnes Etruriae Episcopos de instituendo eorum, qui Parochiales Ecclesias petunt, doctrinae experimento.

Placuit Regiae Celsitudini D. N. per Rescriptum decima octava elapsi proxime mensis Maii die datum praecipere:

I. Ut Magni Ducatus Episcopi, antequam fiat eorum doctrinae periculum, qui vel Ecclesias petunt vel eius generis Canonicatus qui in Regio Mandato VI. Id. Quintil. An. 1781. edito, et in Encyclica Epistola postrid. Kal. Mart. An. 1782. data indicantur, vel aliud quodvis Beneficium, quod deinceps eodem loco in hunc finem haberi posset, neminem eorum reiiciant, qui se velint eidem periculo exponere, praeter postulantes iam in Albo descriptos a Communitatum Scribis ad eosdem Episcopos mittendo, modo qui supervenerint iis praediti dotibus sint, quae in vigentibus Mandatis requiruntur.

2. Ut facto huiusmodi periculo, aliisque omnibus omnino reiectis, nisi postulantes speciale eius qui a Secretis Regii Iuris est mandatum exhibeant, statim Communitatis illius, in qua situm est Beneficium, Scribis eorum qui licet in Albo per eosdem Scribas accepto minime descripti fuerint, nomen, cognomen, patriam, sedemque significent.

Haec mihi honori tribuo tibi significare mandata Regiae Celsitudinis, ut ea exequi accurate velis, ac me interim observantiae plenum esse profiteor, tuique,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae ex R. Iuris Secret. III. Id. Iun. 1782.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Antonius Mormorai

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XX.

Encyclica Regii Iuris Secretarii Epistola de iis quae Spoglj, Vacanti, Quindennj *vulgo appellantur.*

Ea Regiae Celsitudinis mens ac voluntas est, ut in suis ditionibus omnis deinceps penitus cesset et abrogetur imperata pecuniae summa, quae *Spoglj*, *Vacanti*, *Quindennj* vulgo dicitur, tum quaevis alia eiusdem generis quae directe vel indirecte et compensationis causa quovis titulo Romam mittitur, quaeque a Clericis tum Saecularibus tum Regularibus, vel ab alia quavis persona piove Loco solvitur.

Praecipit etiam, ut eaedem illius pecuniae summae, quae ut ad Regium arbitrium nutumque servarentur, per encyclicas literas XV. Kal. Iun. datas nuper imperatum est, nuno ab iis qui eas colligendi funguntur munere, tibi tradantur, Illustriss. Praesul, ut illis in tua Dioecesi distribuas qui maiori inopia laborant.

Haec tibi Regia mandata significo magnam in tua spectata humanitate spem habens te sedulo facturum, ut accurate perficiantur. Meas has redditas tibi fuisse literas fac certo sciam, quo Regiam Celsitudinem de omnibus

cer-

certiorem facere possim; tuique interim me reverenter esse profiteor,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae a Regii Iuris Secret. XVII. Kal. Quintil. 1782.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Antonius Mormorai

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XXI.

Encyclica de Parochialibus liberae Collationis etc. Ecclesiis Epistola.

Regia Celsitudo memoria repetens quaecumque hactenus in eum finem mandata dedit, ut quantum fieri potest in sua felicissima ditione praestantibus morum integritate, consilio, et doctrina Clericis Beneficia conferantur, generalem nullam animadvertit adhuc praescriptam fuisse normam; cum enim datae tum VI. Id. Quintil. An. 1781. tum postrid. Kal. Mart. An. 1782. ad omnes Episcopos literae Regii tantum ac publici iuris Patronatus Paroeciis, Canonicatibus, Dignitatibusque consulant, superest, ut generalis etiam praescribatur regula non Parochialibus tantum liberae Collationis Ecclesiis, sed etiam Dignitatibus illis accommodata, quae quocumque titulo reservatae praedicantur Pontifici, ac praeter onus in gravissimis Apostolatus muneribus adiuvandi Episcopos animarum curam interdum adiunctam habent.

Ad ea etiam advertere dignatus est animum, quae de conferendis Ecclesiis per Canones, praesertim vero a Tridentina Synodo, atque illa Pii V. Pontificis Epistola, quae incipit: *In conferendis etc.* sanciuntur, nec non quae in eiusdem Concilii Congregationibus deliberata fuerunt et nostris etiam hisce temporibus edita, et non sine peculiari animi sui solatio perspexit, vulgo ab omnibus sic haberi, proprio

et

et nativo iure atque ex canonum mente pertinere ad Episcopos dignioris delectum ex iis, qui per examen sive ut aiunt concursum probati fuerint, eosque omnes, ne Apostolica quidem ut aiunt Dataria excepta, qui Ecclesias conferendi ius habent, teneri ex officio easdem illi tantum conferre, qui talis Episcoporum ipsorum iudicio habebitur, praeterea nemini.

Cum insuper ita sui muneris esse sentiat, ut a Regia Maiestate et Imperio illud seiungi nequeat, tum Ecclesiae tueri Canones, tum de recto ordine et spirituali carissimorum sibi subditorum ministerio cavere, eo etiam clementiae et bonitatis devenit:

1. Ut Encyclicas literas XVII. Kal. Februar. An. 1782. datas in mentem Episcopis revocet, per quas eorum conscientiae permittitur, firmo constantique animo nulliusque ratione habita non eos tantum repellere, qui inhabiles omnino sunt, sed etiam minus idoneos, si qui forte huius generis ad Parochiales privati iuris Patronatus Ecclesias fuerint nominati. Licet enim integra esse familiarum iura et Institutorum voluntatem velit, nullo tamen pacto feret, ut quis in re tam gravi et Regiam omnem paterni illius animi curam postulante huiusmodi iure abutatur.

2. Ut vaçantibus liberae collationis sive Ecclesiastici iuris Patronatus Paroeciis is, nemine excepto, semper eligatur ab Episcopis, quem omni humana ratione posthabita digniorem iudicaverint, eos inter qui per publicum examen sive ut aiunt concursum coram ipsis habendum probati fuerint; et eius unice, qui fuerit tamquam dignior coram ipsis electus, praesentatio atque institutio ab eo fiat, ad quem ius illud spectat, ne Dataria quidem Apostolica excepta, cum quae ipsi reservata venditantur, tempora et casus inciderint.

3. Ut ratio eadem omnino servetur, quoties primae ab Episcopali aut aliae liberae collationis et Ecclesiastici iuris Patronatus Dignitates vacaverint, quas conferendi ius vel ad Sanctam Sedem vel ad Cathedralium iuxta ac Collegiatarum Magni Ducatus Ecclesiarum Capitula spectet, licet ut aiunt vacent *in Curia* vel alio quovis titulo inter reservata Sedi Apostolicae Beneficia habeantur. Insuper REGIA CELSITUDO praecipit, ut examen eorum, qui probandi sunt Dignitatibus assequendis idonei, etiam circa inhaerentia earumdem Dignitatum ministeriis officia versetur.

4. Ut integrum maneat optionis ius, quod ex quarumdam Ecclesiarum instituto aut consuetudine ad Dignitates pertinet; modo tamen hoc iure illi uti non liceat, qui Dignitatem quam occupat per examen aut *concursum* non sit assecutus; nullus sit autem optioni locus, cum Dignitas ad quam quis evehi cuperet adiunctam habeat animarum curam.

5. Ut vero piissima huiusmodi mandata certissime perficiantur, Regia Celsitudo omnino vetuit iis Institutionum libellis quae vulgo *Bolle* dicuntur Regium *Exequatur* dari, sive de Dignitatibus, ne iis quidem exceptis quae principem ab Episcopali locum tenent, sive de Parochialibus liberae Collationis aut Ecclesiastici iuris Patronatus Ecclesiis agatur, etiamsi ab Apostolica ut aiunt Dataria collatae fuerint, nisi simul proprii Episcopi exhibeatur testimonium ex quo pateat eum, cui Dignitas collata est, fuisse ab eodem tamquam digniorem electum eos inter qui per examen probati fuerant. Tibi, Illustriss. Praesul, Magno iubente Duce, huiusmodi mandata significo, quae pro certo habeo te laudi tibi daturum religiose perficere. Expectans interim, ut a te eadem accepta fuisse me doceas, tui me qua maxima possum observantia profiteor,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae ex R. Iuris Secret. III. Id. Quintil. An. 1782.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Antonius Mormorai

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XXII.

N. XXII.

Encyclica Epistola de privati iuris Patronatus Paroeciis congruenti stipendio carentibus.

Ea Regiae Celsitudinis mens ac voluntas est, ut omnibus Magni Ducatus Paroeciis sit satis provisum, ut Parochi et suum perficiant accurate munus, et populis praesto sint.

Publici iuris Patronatus sive ordinariae Collationis Paroeciis partim iam Regia Celsitudo providit, atque idonea molitur reliquis etiam providendi consilia.

Quod vero pertinet ad Parochiales privati iuris Patronatus Ecclesias congruenti stipendio carentes, Regia Celsitudo existimat se nullatenus posse pati, ut privati Patroni ius colendi servandique gratia spirituale totius populi ministerium negligatur. Regia Celsitudo spem habet Familias illas, ad quas ius Patronatus pertinet, et quae suis Ecclesiis redituum inopia laborantibus suppetias ferre possunt, id procul dubio facturas in eum praecipue finem, ut suo muneri satis faciant; quod insuper gratissimum Principi fore pro certo habeant.

Ad eas vero Familias quod attinet, quibus grave esset suarum Ecclesiarum augere stipendium, si praeter Ecclesias Parochiales alia simplicia conferendi Beneficia ius habeant iam nunc dare operam possent, ut eadem illis sibi liceret unire Paroeciis, ubi primum vacaverint, reapse unienda.

Nonnullae etiam Familiae ius Patronatus huiusmodi Ecclesiarum, imposito earumdem Ecclesiarum stipendium augendi onere, familiis illis possent concedere, quae amplioribus divitiis affluunt, eidemque oneri sustinendo sunt pares.

Optat Regia Celsitudo, ut Episcopi haec omnia pauperum Ecclesiarum Patronis in sua Dioecesi degentibus significent, consona Regiis Mandatis, unaque cum ipsis consilia ineant, et per eum qui a secretis Regii Iuris est,

REGIAE CELSITUDINI referant quid hac de re factum sit. Tui interim me obsequentur esse profiteor,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae ex R. Iuris Secret. V. Id. Ianuar. An. 1783.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Antonius Mormorai.

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XXIII.

Episcopi literae in Encyclica proponenda de conferendis Beneficiis data prid. Id. Sextiles An. 1783.

Cum Magnus noster Etruriae Dux in nativum illud propriumque Ecclesiasticos reditus ex Canonum mente atque ex vera Ecclesiae disciplina distribuendi ius Episcopis restituere dignatus sit, meum esse arbitror piissimum hoc saluberrimumque, quod per literas ab eo qui a secretis Regii Iuris est datas accepi, statim significare consilium, ut omnibus summa in hac re pateat Religio Principis, qui dum vere dignos et huic Ecclesiae utiles necessariis reditibus instruendi Ministros facultatem Episcopis praebet, mihi etiam periucundam spem tribuit fore, ut huius Dioeceseos Sacerdotes reditibus, qui supersunt, nec alio transferentur, abundantius in posterum uti valeant.

Ita vero scriptae sunt eae literae.

„ Cum Ecclesiasticos reditus ex Canonum mente atque „ ex vera Ecclesiae disciplina distribuendi ius ad Episcopos „ omnino pertineat, quippe qui unice eos nosse debent, „ qui utilem Ecclesiae populoque praestantes operam iis- „ dem dignos se praebent, omni illa quam uti Ecclesiae et „ Canonum propugnator ac vindex habet auctoritatem, REGIA „ CELSITUDO vult atque imperat, ut deinceps Episcopi „ omnes, qui in Magno Ducatu iurisdictionem exercent, nativo

„ hoc proprioque iure per se, nulliusque implorata potestate utantur, quocumque vel modo vel tempore liberae „ Collationis aut Ecclesiastici iuris Patronatus Beneficia vacaverint; integra tamen sunto Patronorum iura necnon „ praescripta quae vigent.

„ Hac etiam lege comprehensa intelligantur quaecumque Beneficia tum simplicia tum quae residendi officium „ adiunctum habent, ne iis quidem quae *Consistorialia* dicuntur, nec primis Dignitatibus exceptis.

„ Mihi etiam expresse mandavit, ne Beneficiorum possessionem adeundi facultatem concedam, nisi Beneficia illa ex huiusmodi Regiis praescriptis collata fuerint.

„ Iure quidem confido, Illustriss. Praesul, te tui esse „ officii existimaturum Regia haec mandata accurate exequi, mihique humaniter eadem a te fuisse accepta significare, ut de omnibus Regiam Celsitudinem certiorem „ facere possim.

Florentiae prid. Id. Sextil. 1783.

Quae quidem mandata qua late patent ex conscientiae officio perficere dum mihi certum esse confirmo, praetermittere non possum, quin universos iterum fideles admoneam nostrum omnino esse Deum assiduis exorare precibus, ut tam pium Religiosumque Principem ac Regiam omnem Familiam fortunare velit. Id enim non subditorum tantum et Christianorum conditio, sed grati etiam animi officium a nobis postulat. Huic nunquam deesse velitis, carissimi Fratres ac Filii, illud etiam reputantes animo quod aiebat vir piissimus sapientissimusque qui multa indigna perpessus veritatem asseruit (*in I. ad Timoth.* c. 2.) impetrata nimirum pro Principe beneficia ad omnes pertinere; praesens namque Christi-fidelium tranquillitas Ecclesiae tranquillitatem, tranquillitas Ecclesiae tranquillitatem Regni consequitur, Regni vero quies a Principe pendet atque oritur, qui illud administrat ac regit. *Gratia Dei cum omnibus vobis.* Amen.

Dat. Pistorii ab Episcopalib. Aedibus XVIII. Kal. Sept. 1783.

Scipio Pistoriensis et Pratensis Episcopus.

N. XXIV.

N. XXIV.

Epistola a Secretario Regii Iuris data ad omnes Episcopos, qua necessario Ecclesiastici iuris Patronatus Paroeciarum stipendio consulitur.

Per hoc quod sequitur Epistolium ex Regio Secretar. Kal. huiusce Mensis Ianuarii datum Regia Celsitudo supremam suam dignata est patefacere voluntatem, quae illud unice spectat, ut compluribus Magni Ducatus Paroeciis, quae Ecclesiastici, piorumve tuae istius Dioecesis Locorum iuris Patronatus sunt, sit satis provisum.

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul

Cum Regiae Celsitudini compertum exploratumque sit, quam ad spirituale populorum ministerium et institutionem conferat per idoneos optimosque Pastores Paroecias administrari; postquam, quoad per facultates ex abolitis Coenobiis et Monasteriis redactas licuit, popularis et liberae Collationis Paroecias, quas maiori laborare inopia per Episcopos comperit, reditibus auxit: ad eas modo Paroecias praecipue advertit animum, quae Capitulis, Abbatiis, Piis Locis, Coenobiis, et Monasteriis subiiciuntur, et quarum ab iisdem ius Patronatus obtinetur.

Aegre quidem perspexit non congruens tantum stipendium huiusmodi Ecclesiis deesse, sed illud etiam quod vel tenuissimo Parochorum victui sufficiat, licet necessarium sit Patronorum officium suis Paroeciis opem ferre; eos esse ad illud implendum tardiores qui id facere percommode possent; Ecclesiasticos Patronos ab huiusmodi officio debere esse minus immunes, utpote quibus Ecclesiae ministerium et Fidelium salus curanda maxime foret, et quorum reditus partim ex bonis proveniunt, quae iisdem Paroeciis detracta sunt.

Has ergo Paroecias, quarum ius Patronatus ad Capitula, Cleros, Abbatias, Pia Loca, et ad Coenobia ac Monasteria pertinet, Regia Celsitudo vult esse perpetuas, ut Parochi nihil amplius sint Patronis obnoxii, ac dimissionis

metu

metu eas non cogantur leges accipere, quas iisdem imponere Patroni vellent.

Si nihil habeant Episcopi, cur eorum vel facultatem vel mores reprehendant, qui eiusmodi Paroecias, a quibus amoveri hactenus poterant, in praesens administrant, in iisdem perpetuo confirmentur, nec alios in eorum locum sufficere Patronis liceat.

Vult autem ita earumdem Ecclesiarum augeri reditus, uti in appositis Albis notatum legitur, atque praescriptum.

Liceat iisdem Ecclesiasticis Patronis in constituta redituum summa non solum praesentes Ecclesiarum reditus (modo onera omnia, obligationes, ac sumptus qui in Templi usum cultumque fieri debent detrahantur), sed ea quoque, quae ex Parochiali ministerio proveniunt, quaeque ex Beneficiis Ecclesiae et Parocho addictis supersunt rite aestimata computare.

Detrahendum est etiam quantum aedificiis sartis tectis servandis sufficiat nisi id forte in se Patronus recipiat.

Ad augendos earumdem Paroeciarum reditus Ecclesiastici Patroni simplex aliquod Beneficium, quod ipsorum iuris Patronatus sit, poterunt iisdem adiungere; modo suis sumptibus illorum onera transferenda curent, et de suo quantum congruenti stipendio deest, suppeditare teneantur, donec illa coniunctio atque translatio fiat. Quidquid vero praescriptae redituum summae deerit, e sua re familiari praebere Ecclesiastici Patroni debeant, atque iisdem Ecclesiis certos reditus attribuere, qui debito Parochis stipendii augmento respondeant, vel *Montis*, ut aiunt, *loca*, vel *Census* vel annuam pecuniae summam donec integre fuerit iisdem provisum.

Liceat Monasteriis, Coenobiis, Piis Locis, Capitulis, et Cleris pro rata parte maioris sumptus, quem Paroeciarum causa ferent, ingentem illam in festis celebrandis pompam, omnesque sumptus, qui supervacanei videbuntur, remittere, nec non ad minorem numerum suos Canonicatus et Capellanias redigere.

Imperatus vero redituum auctus trium mensium spatio fieri ab omnibus debet, ex quo huiusmodi Mandatum acceperint, eodemque temporis spatio se id perfecisse probare quisque debet apud Episcopos, in quorum dioecesi positae Paroeciae fuerint.

Qui

Qui a secretis Regii Iuris est ad singulos Patronos descripta mittet Ecclesiarum quae ad illos pertinent nomina una cum huiusce Regii Mandati exemplo, et iisdem significabit, qua summa augendi sint cuiusque Paroeciae reditus.

Eiusdem etiam Mandati exemplum ad singulos Episcopos mittet una cum Paroeciarum nominibus, quibus in eorum Dioecesi subsidium comparandum est, mandans insuper, ut suo tempore referant, an omnia huiusmodi subsidia attributa Paroeciis revera fuerint.

Haec etiam Mandata nec non earumdem Ecclesiarum nomina significabit Praetoribus, quorum erit cavere, ut REGIAE CELSITUDINIS voluntas statim et nullo interposito inani praetextu perficiatur.

Tui interim me obsequenter esse profiteor,

Illustriss. Domino,

V. ALBERTI

Ex Regio Secretar. Kal. Ian. 1784.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Carolus Bonsi

Haud profecto Principis mandata accuratius exequi me posse arbitror, quam si eadem tibi, Illustriss. Praesul, qualia ipse accepi, significem una cum descriptis Paroeciarum in tua Dioecesi reditu augendarum nominibus, sperans te Regiis consiliis inhaerentem eo quo praestas Religionis amore tuaque auctoritate facturum, ut eadem omnes inviolate perficiant.

Aliquam interim ab humanitate tua expecto huiusce rei significationem, ut de ea REGIAM CELSITUDINEM certiorem faciam; atque illud interim, quod tibi veluti quaedam agendi norma esse potest, praemoneo, si nempe mixti iuris Patronatus Ecclesiae sint, earumdem reditus pro rata iuris Patronatus parte ab Ecclesiasticis Patronis augeri debere, facta Laicis, qui una simul Patronatus ius obtinent, nec ad reditus augendos aliquid conferre volent, sui iuris vel suffragii partem concedendi potestate, vel Compatronis si iidem onus huiusmodi in se recipere velint, vel libere in manus Episcopi; quod si

fiat, ut id mihi significare velis, te etiam atque etiam oro; singulis enim Praetoribus mandare non praetermisi, ut hoc Patronis denuncient, quo deliberare possint, utrum ii malint amplecti.

Interim te plurimi a me fieri, maximeque coli pro certo habeas.

Tui, Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae prid. Kal. Februar. 1784.

Addictiss. Obsequentiss. Servus
Antonii Mormorai impediti loco
Vincentius Scrilli Cancellar.

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XXV.

Encyclica Regii Iuris Secretarii Epistola, qua nonnulla adiiciuntur literis III. et postrid. Id. Quintil. ad omnes Episcopos datis an. 1782.

Cum unam eamdemque rationem ubique ac perpetuo servandam constituere simulque efficax quibuscumque abusionibus adhibere remedium Regia Celsitudo velit, ad ea, quae iam per literas huius Regii Iuris Secretar. III. ac postrid. Id. Quintil. An. 1782. datas praecipiuntur, haec etiam veluti certam perpetuamque legem praescripta adiicere dignata est ut nempe nulli deinceps, quod ad Parochiales Ecclesias, Dignitates, Canonicatus, liberae Collationis et Ecclesiastici iuris Patronatus, quotquot in Magno Ducatu sunt, pertinet, possessionem adeundi facultas detur neque Institutionum seu Collationum libellis, quae *Bolle* dicuntur, Regium *Exequatur* concedi possit, nisi simul examinis aut concursus Acta, quocumque mense Ecclesia vel Dignitas vacaverit, exhibeantur, ex quibus constet eos; quibus Ecclesia aut Beneficia collata sunt, fuisse utpote digniores praeoptatos.

Exa-

Examinis vero vel ut aiunt Concursus Acta, ad eum obsignata mittuntor, qui a Secretis Regii iuris est, quique ea statim Episcopis reddenda curabit, ubi primum data rite fuerit possessionem adeundi facultas.

En de quibus te, Illustriss. Praesul, certiorem facere debeo, teque officii tui esse existimaturum confido Regiis huiusmodi Mandatis inhaerere.

Me interim qua maxima possum observantia profiteor

Tui, Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae ex R. Iuris Secret. prid. Id. Maii An. 1785.

Addictiss. Obsequentiss. Servum
Vincentius Martini

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XXVI.

Reciae Celsitudinis *Mandatum de conferendis Beneficiis etc.*

Illustriss. D. qui a Secretis R. Iuris est hoc Mandatum Sanctissimum V. Kal. Sextiles nuper datum publice proponit.

Regia Celsitudo nonnulla superioribus mandatis adiicere volens, quibus vetitum est Ecclesiastica Magni Ducatus beneficia iis conferri, qui subditi non sunt, praecipit, ut deinceps Subditis tantum conferantur non Paroeciae solum, Dignitates, ac Beneficia, quibus residendi officium adiunctum est, sed generatim simplicia quaevis Beneficia in Magno Ducatu constituta, sive Ecclesiae sive Beneficia cuiuscumque generis, vel a Principe vel a Populo, vel per Communitatem conferenda, vel denique ordinariae Collationis sint, vel Patronatus ius ad Ecclesiasticos, vel ad privatas tum Familias tum personas pertineat.

Regium etiam *Exequatur* dari vetat, quoties in iis conferendis haec mandata Principis non fuerint accurate servata.

 Item

Item veluti iniusta et abnormia existimans licet solemniter et quavis auctoritate concessa privilegia illa, quorum causa Ecclesiasticorum Beneficiorum reditus ad alios omnino usus convertuntur quam ad illum, cui forent religiose servanda, nempe ad proximum Ecclesiae ministerium; praecipit ut in Magno Ducatu Melitensium et D. Stephani equitum privilegia nullam vim habeant ad Ecclesiasticas assequendas pensiones, vel hactenus perceptas retinendas, si iidem equites Clerici antea fuissent, ac solum permittit, ut iisdem uti illi pergant, qui eas in praesens obtinent, modo alias non possint deinceps consequi.

Cum insuper aeque prava illi videatur alia quaevis indulgentia et tolerantia, qua nihil cavetur, ut Ecclesiastici reditus illi rei inserviant, cui vere ac legitime fuerunt addicti, imperat, ut privati iuris Patronatus, Beneficia conferre non liceat, nisi iis, qui Ecclesiae revera inservierint vel modo inserviant, aut saltem ita affecti animo sint, eamque susceperint vitae rationem, ut ad studia illa atque ad eas exercitationes sedulo incumbant, quibus utilem aliquando Ecclesiae operam dare possint, nunquam vero iis, qui iisdem reditibus amquam re familiari fruituri sint eosque ad se solo habitus clericalis usu traducturi.

Et Episcoporum arbitrio permittens eâ, quam prudentia postulat, erga illos tolerantiâ uti, qui iam huiusmodi Beneficia possident, praesertim vero erga provectos aetate homines, quibus grave ac difficile esset novam inire vitae rationem, optat, ut quammaximo possunt studio ac vigilantia ad praestandam revera parem cuiusque aetati ac viribus operam eos omnes adigant, qui recens Beneficia obtinent, facta ipsis eorum retinendi reditus facultate, qui Ecclesiastici iuris Patronatus Beneficia possident, si suo desint officio; quam facultatem postulare a nobis poterunt si de Beneficiis agatur, quae a Principe vel a privatis Patronis conferuntur.

Dat. V. Kal. Sextiles 1785.

PETRUS LEOPOLDUS

V. ALBERTI

Et omnia etc. mand. etc. C. BONSI

Ex R. Iuris Secret. Nonis Sextilibus 1785.

Vincentius Scrilli primus Cancellar.

Digitized by Google

N. XXVII.

Epistola a Secretario Regii Iuris ad omnes Episcopos data, qua amplificantur atque explicantur quae per Encyclicam Epistolam prid. Id. Augusti an. 1783. datam praescripta sunt.

REGIA CELSITUDO ea volens amplificare ac declarare quae per literas ad omnes Episcopos prid. Id. Aug. An. 1783. datas praescribuntur, nempe ut Episcopi omnes qui Ecclesiasticam in Magno Ducatu iurisdictionem obtinent, ipsi per se nulliusque implorata potestate conferant liberae Collationis et Ecclesiastici iuris Patronatus Beneficia tum simplicia tum quae residentialia et Consistorialia dicuntur, nec non primas Dignitates, quocumque vel tempore vel modo vel loco vacaverint; nunc mandat, ut iidem Episcopi moneantur eam REGIAE CELSITUDINI fuisse mentem, ut in eodem Mandato contineantur etiam liberae Collationis et Ecclesiastici iuris Patronatus Ecclesiae quocumque vel tempore vel modo vacaverint.

Haec Magni Ducis mandata tibi significandi mihi honor est attributus, Illustriss. Praesul, in eamque spem venia te tui esse officii ducturum eadem religiose servare; tibique ea fuisse reddita aliquod interim a Te argumentum expectans, ut de omnibus ad REGIAM CELSITUDINEM referre possim, existimationis et observantiae plenus Tui me esse profiteor,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae XVIII. Kal. Februar. 1787.

Addictiss. Obsequentiss. Servum,
Vincentius-Martini

Ad Pistoriensem et Pratensem Episcopum

N. XXVIII.

Pastoralis Epistola de Religionis cognoscendae ratione et necessitate.

Scipio de Ricciis divina miseratione Pistoriensis et Pratensis episcopus suo Gregi carissimo in Christo Iesu uno nostrum omnium Magistro salutem et benedictionem.

Praecipuum Christiani hominis officium illud est, Fratres carissimi, ut in Religionis studio quotidie versetur. Huiusmodi autem veritas, quam nemo vestrum adeo desiperet, ut audeat inficiari, re ita parum cognita ac perspecta habetur, ut si mihi adhibere fidem, atque assentiri velitis, nullum esse officium, quod tam facile ac temere a plerisque deseratur, vobis ultro fatendum sit. Arbitrantur enim complures eiusmodi esse Religionis studium, ut omnibus vulgo Christifidelibus parvus ille Catechismus sufficiat, quo obruitur puerorum mens, qui nihil omnino intelligentes paucis verbis respondere assuescunt, unum esse in tribus distinctis personis Deum, harum alteram humanam suscepisse naturam; atque ita si quis certis quibusdam formulis ac definitionibus dicere calleat quae Dei et Ecclesiae praecepta sunt, quae Sacramenta, precationem illam quae *Pater noster* vulgo dicitur, Apostolorum symbolum, ea se scire arbitratur, quae aeternae assequendae saluti sunt satis. At ne vos, Fratres carissimi, in tanti momenti re tam falsa rerum imagine decipi patiamini.

Non me latet plures exquiri a nobis causas, cur in ignorantia illa acquiescamus, quae veteris illius quo infecti nascimur peccati poena est, neque tamen est nobis gravis; iniucunda enim ac molesta interdum fit illius legis cognitio, quae nostris studiis adversatur, nostramque vivendi rationem reprehendit atque improbat. Probe teneo speciosa etiam praetendi religiosae cuiusdam observantiae nomina, cuius ergo quaedam sibi rentur nimium investiganda non esse mysteria, quae nobis nostrum omnium parens Ecclesia proponit; iuvatque propterea a gravissimis nostris cognoscendis officiis prorsus immunes vivere. Nec me praeterit proximis praesertim temporibus pravos non defuisse Thelogos,

qui

qui cum novam hominumque cupiditatibus accommodatam Religionis speciem excogitassent, hominum ignorantia freti eam Iesu Christi doctrinae subrogare conabantur. At cum divino beneficio tenebrae illae, illaque spectra fuerint potenti manu depulsa, quibus piorum hominum exterrebantur animi, cur, Fratres carissimi, eorum confirmandae opiniones sunt, uti non sine gravi detrimento a verbosis quibusdam vanisque Concionatoribus hactenus factum est, qui necessariis doctrinis non eruditi et fortasse ambitioni magis et praesenti consuetudini inserviendi causa, quam optimo consilio permoti, impium quoddam volentes refellere hominum genus, qui *fortes spiritus* vulgo dicuntur, dum in Religionem vertunt, quod eidem delendae aptissimum est, arma ipsis revera suppeditant, quibus acrius illam oppugnent; qui populis suadentes, ut percommodam eius non cognoscendae rationem sequantur et ea satis habeant, quae ex parvis Catechismis didicerunt, (secus enim, inquiunt, verendum esset, ne in scopulos incidant, et imprudenti curiositate se abripi sinant) postulant, ut privatis iudiciis, Theologorum opinionibus, quas cum Sacris Literis, Patribus, et Conciliis comparant, temere assentiantur, atque ita confusis atque permixtis Mysterii, Legis, Consilique notionibus sui Apostolatus muneri se satis fecisse arbitrantur, cum deceptam multitudinem eo adduxerint, ut malit in miserrima rerum ignoratione versari. *Caeci sunt et duces caecorum*, Fratres carissimi; ne dari vobis ab iis verba patiamini.

Non homines habet auctores Religio, sed Deum, nihilque adeo veretur magis, quam ne ab hominibus cognoscatur. Si nullius fidei ac perditae vitae homines sunt, uti revera sunt, an illos Religionis studio in tantam impietatem pravitatemque adductos existimatis? Minime gentium; animi enim pravitas et qui animi pravitatem plerumque consequitur religionis contemptus ignorantiae fundamentis dumtaxat innititur. Fieri nequaquam potest, ut qui Iesu Christi doctrinam bene cognitam habet atque perspectam, eam non admiretur ac diligat; fieri aeque nullo pacto potest, ut quis bona fide ad Religionis vim rationemque penitus percipiendam adiiciat animum, eamque maiori in dies admiratione ac veneratione dignam non censeat.

Cum aeternam ipsam legem suis penitus inditam natura animis mortales habeant; cum in eius religionis fide fuerint instituti, quae tantam ac tam sublimem Dei cognitionem

nem ingerit, cuius tam augusta mysteria sunt; adeo pura et integra morum doctrina est, adeo hominum conditioni atque usibus accommodata, adeo sibi ad veram felicitatem comparandam necessaria; an huiusmodi religionis studio illorum mentem ita perverti posse arbitramini, ut eadem illa, quae veluti edita divinitus oracula antea habebant, ipsis iam totidem composita a peritis reipublicae vel imbutis superstitione hominibus mendacia videantur? Numquam profecto, carissimi Fratres, sineret D. O. M. ita aberrare homines, cum ingenuo veritatis inveniendae studio inflammati sedulo eamdem inquirunt, neque me a veritate procul abire crederem, si mei clarissimi Fratris, qui Ecclesiae decus et solatium est (1), verbis utens non dubitarem dicere, neminem prorsus eos inter, qui nihil credunt, adlaborasse, ut quam tantopere iactitant confidentiam validissimis rationum momentis confirmarent. Reperietis contra, nihil aliud ex iis, quae ad religionem pertinent, fuisse umquam iisdem cognitum, quam quod per ieiunam levemque et interdum Christianis praeceptis parum consonam institutionem perceperunt; et si quidquam eorum, quae sunt admittenda, didicerunt, numquam tamen cur sint credenda, exquisivisse; atque ita ipsorum plerosque incredulos fieri nulla antea rei inquisitione facta, causa incognita, caeco quodam animi furore abreptos pravisque opinionibus occupatos. Valde enim ipsorum interest vel penitus ignorare, vel vanam ducere Religionem illam, qua iubemur animi motus compescere, eiurare mundum, eiusque caduca bona despicere. Si quis vero eorum vel humanae prorsus philosophiae studio, vel alicuius Scriptoris Ecclesiae dogmata acerrime oppugnantis libros pervolvendo maiorem apud homines famam nomenque obtinuit, nullus tamen argumenta prius expendit, quam quae obiiciuntur perciperet; nemo quibus Religio fundamentis nitatur sedulo exquirere, et in universa ipsius principia mentem intendere studuit. Ita facti semel increduli vel ad sedandos comprimendosque conscientiae stimulos, vel ad festivi et acris ingenii laudem captandam ignorantiae praesidio muniti commoditatis aut ambitionis causa tales se praestant. Si

(1) *Is est Montazetus Archiepiscopus Lugdunensis in Epistola Pastorali de Incredulitatis fontibus et fundamentis Religionis P. I.*

Si Religionis quam profitentur studio, ea mente operam darent, ut Christum Iesum cognoscerent, cuius imagini fieri debemus conformes, eone caecitatis eosdem venturos existimatis? Ne, carissimi fratres, sinatis vos decipi, sed hoc habeatis penitus persuasum, haud ex alia re quam vel ex improba novas doctrinas inducendi libidine vel ex summa inscitia inanes illos proficisci metus, quibus ab huiusmodi studio perficiendis accurate officiis illius status, quem profitemur, adeo necessario vos deterrere conantur.

Suam nosse Religionem idem prorsus est ac perfectissimas Dei virtutes, eiusdem scilicet potentiae vim, sapientiae opera, misericordiae multitudinem, severitatem iustitiae, promissionum amplitudinem, et in iis servandis fidem agnoscere. Huius doctrinae ope quodammodo, et quantum per nos licet, illius qui Deus simul et homo est mysterium intelligimus, Redemptoris necessitatem, et praeter ipsius sanguinem ad duo illa sananda vulnera, ignorantiam scilicet et concupiscentiam in quibus infirmitas nostra versatur, nullum plane remedium sufficere deprehendimus. Hac doctrina imbuti diversa quibus nostrum Caput Iesus Christus insignitur Magistri, Pastoris, Sacerdotis, Victimae, Mediatoris, Iudicis nomina et officia novimus. Hac gratuitum omnino esse, quo nos illa prosequitur, amorem docemur; hac discimus, quanta illius gratia vi et suavitate praestet, quae sit Sacramentorum sanctitas, quae veluti perspicua et sensibus subiecta signa demonstrant, quid nostris in animis gratia illa perficiat, cuius ope mentes nostras divinus Spiritus integras sanctasque efficit, dum augusti adhibentur Sacramentorum ritus: hinc vero in eam cogitationem animadversionemque facile venimus, quemadmodum affecti animo simus oporteat, ut eadem utiliter percipere valeamus. Eó demum Religionis studio ducimur, ut Ecclesiam et eximias, quibus decoratur, dotes agnoscamus; quarum ratione dicitur ac revera est Spiritus S. Templum, Iesu Christi Sponsa, eiusque promissionum heres et custos auctoritatis; hinc eam mysticum veluti corpus spectamus, quod tum a Christo Iesu, qui ipsius caput est, tum a fidelibus qui sunt eiusdem membra efficitur, inenarrabilis illius coniunctionis vi, qua unus cum ipso Sacerdos, victima una, unus ac perfectus venerator et cultor existimus, qui in spiritu et veritate Deum adoramus. Verendumne nobis erit, ne quicumque sunt huiusmodi gravissimarum veritatum cognitione imbuti, in quibus stat sanctissimae nostrae Religionis summa, demisso, intento, ac sedulo

ad eam comparandam animo, increduli perditique homines fiant? Atqui quanam alia re vos ii territare conantur, qui vel malignitate animi, vel inscitia ab huiusmodi necessario cum primis studio moliuntur avertere? Tam impia haec, tam absurda Mahummedis Alkoranus praecipiat; legi enim pravis hominum cupiditatibus ac studiis indulgenti suffragari unice possunt; quae sane lex tam longe lateque manare, tam altas agere radices in illis regionibus non potuit, quae iam sanctissimae nostrae Religionis cultu floruerant, nisi miserrimae ignorantiae praesidio. Vobis autem Iesu Christi legem profitentibus hanc protendi latius non posse nisi penitus cognoscatur, ignorantia vero ad eam deturpandam evertendamque unice viam sterni penitus animo persuasum sit.

Metus ergo, ne sedulo religionis studio fiatis increduli, nihil aliud est, ut probe intelligitis, Fratres carissimi, quam praetextus inanis ac noxius, qui antichristo solum et iis, quos eiusdem praecursorum nomine appellat Apostolus, prodesse potest. Nec minus a veritate alienum aut minoris detrimenti causa est, quod nonnulli praetendunt, ut se ab huius capessendi studii onere eximant; illud enim Scholarum dumtaxat, et tradentium res divinas Magistrorum esse arbitrantur. Quod studium si positum esse dicerem in perdifficili aliquo enodando exponendoque Sacrorum librorum loco, qui doctissimorum etiam virorum ingenio negotium facessit; si postularem, ut sanctiora expendatis Ecclesiasticae Traditionis dogmata, eaque historiae facta ac monumenta illustretis, quae Critices peritissimos exercuerunt; huius studii lege nequaquam omnes teneri merito aliquis dixerit, nihil horum tamen generatim a fidelibus postulo. Quid sit suam nosse ac perspectam habere religionem, superius a me dictum est, fuseque explicatum. Neminem esse arbitror, qui affirmare velit, artificem illum, qui pauca illa praecepta tenere satis habens sibi a Magistro tradita, ubi primum puerulus ad officinam accessit, plura suam artem spectantia discere curae non habuit, eam posse laudabiliter profiteri. Quis adeo indiligens agricola est, qui suam agrestium instrumentorum nominibus scientiam circumscribat, qui nulla temporum caelique observatione facta metat, arbores plantet, serat, fructus colligat? Nonne contra quale sit lignum, quos fructus, quae semina solum amet, quo tempore ea sint terrae mandanda, diligenter inquirit, et seniores

artis

artis locique peritissimos consulens eo curas omnes cogitationesque convertit, ut suorum augeat agrorum fertilitatem? Quod vero ad Religionis Christianae professionem cultumque pertinet, cum non de praesenti, sed de aeterna vita, summoque bono agitur, adeo erimus inertes ac desides, ut ne eam quidem quae in profanas artes conferri solet, diligentiam adhibeamus? Ergone memoria, ingenium, et solertia illa, quae in re familiari administranda, explendisque cupiditatibus cernitur, illico evanescet, cum Religionis studium nobis est suscipiendum? Cavete, Fratres carissimi, ne in eam umquam reprehensionem incurratis, qua suos Iesus Christus discipulos (1), et Galatas redarguebat Apostolus (2), ut eos e veterno illo illaque socordia excitaret, quae in tanti momenti re extremam animo perniciem importat. Persuasum vobis sit aetatem nullam esse, nullam hominum conditionem aut genus quod crescere ut ait D. Paulus in Dei scientia non possit (3). Neque alia re protendi Religionem voluit divinus eiusdem auctor; et si umbrarum tantum et similitudinum velamine abdita Regni caelestis mysteria nosse incredulus Iudaeus meruit, ea Iesus Christus suis aperte declaravit Apostolis eosque iussit *praedicare super tecta* quod aure audiebant; praecepit nimirum, ut veritates illas, cognitiones, et dona Fidelibus communicarent, quae ipsis vel divina meditantibus eloquia vel demum sedulam dantibus Traditionis studio operam divinus Spiritus esset largiturus. Quod sane mandatum accurate perfectum ab Apostolis eorumque successoribus, qui eodem repleti spiritu tantopere adlaborarunt, ut suorum augeretur in dies discipulorum scientia, primosne Christi fideles tantum spectabat, vel datum frustra Magistris fuit, quandoque eodem non tenentur discipuli? Haud ita sentiebant Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, cum divinis omnes initiabant mysteriis, quemadmodum ex eorum sermonibus, libris, et epistolis videre licet. Haud ita sentiebat magnus ille Apostolus Paulus, qui maximo perfundebatur gaudio, cum videret Colossenses in eorum mysteriorum cognitione versari, quae gentibus

(1) *Luc.* 24.
(2) *Cap.* 3.
(3) *Coloss. I.* 10.

bus fuerant et multitudini Iudaeorum abscondita, atque ita illius gloriae divitias nosse. quas Deus per suum Filium voluit largiter in gentes effundere. Nonne divinus idem Servator noster ac dominus egit Patri gratias, quod parvulis eadem illa mysteria revelasset (1)?

Totne certissimis clarissimisque Iesu Christi, eorumque, qui se vere ipsius discipulos praebent, testimoniis confirmati a vanis illis doctoribus patiemur nos decipi; qui studium hoc adeo necessarium profanae arrogantique curiositati tribuentes ab eo nos vellent ad quietem otiumque revocare? Minime opus est, iterum vobis dico, fratres carissimi, ut Fidelium vulgus acerrimum illud iudicium ad hoc studium conferat, quo laudati superius eximiae sanctitatis Episcopi et Ecclesiae doctores excelluerunt. At si quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam sunt scripta, nullius prorsus utilitatis erunt, nisi teneamur iisdem uti. Quae, quotque sint Sacramenta, probe nostis, eaque certis quibusdam rite perceptis formulis declaratis. At nisi studeatis discere, quo animo sitis oportet, cum ad ea percipienda vultis accedere, Num divini Spiritus gratiam miracula illa in vobis effecturam confiditis, quorum illa perspicua atque externa sunt argumenta? Quanam re fit, ut Christianorum quamplurimi Poenitentiae tribunal frequenter adeant, quin tamen evadant meliores atque ad virtutes excolendas alacriores? Responsa illa apprime tenent, quibus quid ad rectam peccatorum confessionem necessarium sit explicatur; sed scire negligunt, dolorem illum, quo suas deflere atque exsecrari culpas debent, gratuitum esse divinae bonitatis et misericordiae donum, quod nobis Iesus Christus promeruit, quodque non possumus habere, cum volumus, nec formulis illis inhaeret, quas vel memoriter pronunciamus, vel in libris descriptas legimus? Ita complures et quidem inscii re ipsa Pelagiani fiunt, iustificationis gratiam in nostra potestate esse et a libero nostrae voluntatis arbitrio pendere existimantes, atque ita in eamdem illam, quam olim Israelitarum gens subiit, reprehensionem merito incurrunt. *Israel vero*, inquit Apostolus, *sectando legem iustitiae in legem iustitiae non pervenit. Quare? quia non ex fide sed quasi ex operibus* (2).

Igno-

(1) *S. Matth.* 11. 25.
(2) *Rom.* 9. 30.

Ignorantes enim, inquit paulo inferius (1), *iustitiam Dei et suam volentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti*. Multa de lege disputabant Iudaei, nec tamen illam intelligebant; quam si penitus nossent, compertum iisdem fui set atque exploratum, Christum Iesum non modo finem sed perfectionem etiam legis esse, cuius signis atque imaginibus praemonstrabatur; cum enim universi in eum credentes per ipsum iusti sanctique fiant, id profecto efficit, quod lex praestare omnino non poterat.

Daemon autem infensissimus nostrae salutis hostis intelligens, quanti intersit de gratiae divinae mysterio recta sentire, exitu perutili sibi, nobis autem gravissimo, vanas quasdam et impias in locum veritatis opiniones suffecit ex hominum superbia arrogantiaque profectas, enutritas inscitia, atque ab hominibus rerum novarum cupidis ad Redemtionis vim necessitatemque oppugnandam, atque ita ad nos in maximam Iesu Christi ignorationem adducendos longe lateque disseminatas. Animadvertite quaeso, Fratres carissimi, gravissimarum huiusmodi veritatum ignoratione contemptuque factum esse, ut per aliquod temporis spatium, cuius nondum finis advenit, divinae misericordiae thesauri ingratissimo subtraherentur Iudaeorum populo, atque interim effunderentur in Gentes. Nonne igitur iure meritoque pertimescendum nobis est, ne rami quoque arbori, quae Ecclesia est, inserti, nos scilicet, excidamur, reiiciamurque, cum earumdem veritatum cognitionem tantopere negligamus? Loca illa, quibus modo schisma, haeresis, superstitiosa ac nefaria Mahummedis superstitio miserrime dominatur, feracissimae olim Asiae, Africae, atque etiam Europae erant Ecclesiae, ubi tot percelebres sanctitate ac doctrina viri floruerunt. Quanam ergo re contigisse creditis, Fratres carissimi, ut illae tam brevi interirent, nisi ignorantia illa, qua fit, ut pretiosissimo illarum, quae nobis patefactae divinitus fuerunt, veritatum thesauro nihil moveantur mortales? Qui sane aequissimo Dei iudicio easdem illas veritates deseruerunt, quas tam parvi ducebant, et miserrimum funestissimumque fecerunt fidei naufragium.

Nunquam deficiet, nunquam interibit, Ecclesia Fratres caris-

(1) *Ibid. XI. 2. 3.*

carissimi; id namque aeterna ipsa fallere fallique nescia promisit veritas; quod quidem promissum peculiarem quamvis minime spectat Ecclesiam; et tenebricosa quaedam advenient tempora, quibus tanta erit zizaniorum copia ut pauci admodum videantur boni, si comparentur cum improbis; et tunc clamabunt timore correpti: *salvos nos fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum* (*Psal. XI. I.*). Haec autem tantae calamitatis tempora quae sua aetate iam advenisse D. Gregorio Pontifici videbantur (*In Iob*) nonne merito sunt nobis etiam pertimescenda? Et cum tanta nobis sit timoris causa, Ecclesiae doctrinam, veritatesque negligemus? Facile reiiciuntur, quae non habentur in pretio, numquam vero in pretio habentur, quae nos penitus latent. Suam nosse Religionem sit an dicendus, qui eiusdem studio numquam adiecit animum, qui ea scire satis habens, quae a puero didicit et in quibusdam precationibus, quarum omnino vim sensumque ignorat, in quibusdam falsis et recens excogitatis religionibus, in quas meus nuper vocem extulit Metropolitanus, et de quibus superiori anno vos admonere non praetermisi, suam omnem pietatem ponit; vos appello iudices, F.C., non vanos illos doctores, qui suum in eo studium collocant, ut pietatis simulatores potius, quam pravo aliis exemplo sitis, sed eos potius, qui veram solidamque pietatem colunt, qui sua maxime necessaria divinitus officia edocti coram ipso gementes una cum Regio Propheta clamant: *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me* (*Psal.* 18. 13.). Hi iudices idonei erunt, qui confirmare vobis poterunt, multa et gravia admitti inscienter crimina, quae nimia ad ea excusanda nequam illorum hominum, qui Casuistae vulgo dicuntur, facilitas, apud aeternae Veritatis tribunal nequaquam delere in iis poterit, qui miserrime eorum doctrinis fidem adhibent, praesertim si falsis quibusdam doctoribus errorum et ignorantiae cupidis stulte ac temere auscultantes propositis a legitimo Pastore veritatibus oculos clauserint, ab iis legendis cognoscendisque earumdem inductu persuasuque deterriti. Res ita se habet, Fratres carissimi, maximique animi dolore dicendum est: hoc etiam versatur et gliscit in Ecclesia malum; vera enim de Iesu Christi gratia doctrina ob gravem nimium deplorandamque negligentiam tantis involuta atque offusa tenebris est, ut quae improbata iam sunt, iterum apud Fideles in contro-

ver-

versiam adducantur. Novam et depravatae hominum naturae magis accommodatam doctrinae rationem Evangelio subrogare ausi sunt; ex quo nova etiam necessario extitit regula morum fovendis potius cupiditatibus quam coercendis idonea; ne autem quam doctrina illa falsa et absurda sit, innotescat, quamlibet disciplinae et institutionis viam nituntur praecludere.

Maximas ergo Deo Patri, bonorumque omnium largitori gratias ago, quod meorum Decessorum cura studioque recta apud Clerum doctrina vigeat, et ingenti mihi solatio est tot eximios Parochos et Sacerdotes acerrimos eiusdem propugnatores videre, dum singulari praestans pietate ac religione Princeps, tot tantaque quotidie adiumenta proponit, quibus ea stabilis perpetuo apud nos et firma permaneat; id, inquam, maximo mihi solatio est, Fratres carissimi. Sed quid? Mihine in aliorum tantum curis acquiescendum, quin vos ad studium illud vehementer excitem atque incendam, quod tot saluberrimis consiliis et institutis unice propositum est cuiusque aetatis et conditionis hominibus adeo necessarium? Haud profecto; numquam contra commemorare vobis desistam, Christianae Religionis professionem deteriori conditione debere non esse, quam caeteras, quibus tam sedulam operam impertimus.

Ex his quae hactenus dicta sunt intelligere vobis licet, execrandam impietatem esse, intolerabilem amentiam, erroremque gravissimum, qui extremum Religionis molitur exitium, inani cuiusdam profanae atque arrogantis curiositatis praetextu, ab huiusmodi studio Fideles abducere. Nihil contra est, quod ad incredulitatem impietatemque faciliorem sternat viam, quam ignorantia. Paucis etiam, quae leviter attigi, satis demonstrasse me arbitror, eos omnes, nemine prorsus excepto, qui aeternam assequi vitam cupiunt, optimos Christi fideles esse non posse, nisi quam profitentur Religionem, studeant apprime cognoscere. Igitur neque minus a veritate alienum est, neque minus inutile, quod a nonnullis praetenditur, huiusmodi scilicet studium ab omnibus nequaquam exigi, nec vulgi hominibus esse et multitudini accommodatum. Cum autem quid sit suam probe nosse Religionem superius exposuerim, ipsi vos iudicate, an Deo impie maledicant, summamque sanctissimae eiusdem legi iniuriam inferant, et maximum illud in dies magis proficiendi in virtutibus officium oppugnent, quicumque hoc

stu-

studium omnibus accommodatum non esse contendunt.

Verum cum huiusmodi incommoda ac difficultates ex eo potissimum proficiscantur, quod quae huiusce studii ineunda ratio sit ignoratur, et praescriptae rationis neglectus in causa fuerit, ut plurimi a recto tramite aberraverint, de hoc videtur deinceps mihi esse dicendum. In hoc autem potissimum versatur ea ratio, ut publicis Parochorum, eorumque, qui legitime missi sunt, institutionibus assidue fideles intersint, optimosque libros, praesertim vero divino afflante numine conscriptos, sacras nimirum literas attente legant. Quod ad institutiones pertinet, quae in Parochialibus Ecclesiis habentur, quin vobis, carissimi Fratres, commemorem, quibus de causis factum sit, ut in tanti momenti re Ecclesiastica dissoluta fuerit disciplina, cuius vi praeteritis saeculis communicare vetabantur, qui tribus continentibus festis diebus ad suam quisque Ecclesiam sacris rebus adfuturi convenire praetermisissent, neque tam facile alterius Paroeciae fidelibus dabatur in Ecclesiam aditus, quin vobis, inquam, funestissimae huius murationis causas commemorem, habebo satis Tridentini Concilii iussu, a quo id muneris demandatum Episcopis fuit, admonere vos, ut frequenter diebus saltem dominicis festisque maioribus vestram quisque Paroeciam adeatis. *Moneant etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus dominicis, et maioribus festis accedant* (*Sess. 22. Decret. de observ. et evitan. in celebrat. Missae*). Ibidem cum vestro Pastore congregati una simul adhibeatis Deo preces; eidem admirabile augustissimumque saorum conficienti adeste, divinam et ipsi per eum aeterno Patri hostiam offerentes; spiritalem cibum corporis Iesu Christi, eo ministrante, tum divini verbi pabulum, ipso docente, sumatis. Illud attento reputetis animo, Fratres carissimi, hominum natura susceptà aeternam advenisse Veritatem in terras, et per Apostolos eorumque successores nempe Episcopos sese longe lateque protulisse. Aucta vero Christianorum multitudine et addictis cuilibet Paroeciae Presbyteris, cum in complures Paroecias divisa quaelibet Dioecesis fuit, hi in concrediti universo Pastorum coetui depositi partem vocantur, ut subiecti Episcopis illud legitime fideliterque distribuant. Ab his Dei verbum in Ecclesiis ad populi captum usumque, qui nemini magis innotescit quam Parocho, accommodate legitur atque explicatur. Adestis quidem, Fratres carissimi, Missae Sacrificio aliisque pu-

blicis precationibus eo sermone conceptis, quî nunc a plerisque non intelligitur. Quis vero melius, quis ordinatius et opportunius quaecumque ignoratis exponere vobis poterit quam Parochus, atque ita letiferâ illâ quae peccati poena est a vobis ignorantiâ depulsâ universos in Ecclesia veluti unius familiae liberos Pastori illi coniungere, cui divinitus fuit animarum vestrarum cura concredita? Ita una simul congregati piam gratamque aeterno Patri vestris precibus vim, ut ita dicam, inferetis, qui per summi et unius Pastoris merita sui in vos divini spiritus gratiae thesauros effundet.

Ad Sacella, aliasque sacras aedes tanta minime conflueret multitudo, nisi divini verbi fastidio gravissimorumque officiorum ignoratione in eam opinionem adducerentur fideles, neglecto iam, quo festorum dierum celebratio imperatur, praecepto fieri ab eo satis, qui Missae celebrationi corpore adsit, uti adversus praeclara eminentissimi Bononiensis Archiepiscopi documenta, prudentissimumque quo flagrat Religionis studium, quidam nuper incredibili temeritate contendere ausi sunt. Imitari hoc est veteris Legis Pharisaeorum exempla, adeoque eamdem sibi reprehensionem damnationemque contrahere. Ne, quaeso, Deus Optime, umquam permittas, ut eorum-quisquam, quorum severissima mihi aliquando reddenda ratio erit, eo caecitatis deveniat! Ipsi autem, carissimi Fratres, quos in Christo Iesu, a quo mihi fuistis concrediti, vehementer diligo, tantum nolitis afferre dolorem Episcopo, qui nullam admittere consolationem debet, si qua e suis ovibus fortasse perierit. Spirituale divini verbi pabulum ad animi vitam tuendam haud minus vobis necesse est quam terrenus corpori alendo sustinendoque cibus. Hoc reparantur damna, quae corpus ad sui dissolutionem properans quotidie patitur, et saepe corpus ipsum ad interitum citius urgetur; illius autem vi ac munere immortalis vita comparatur.

Mea nunc ad vos, Venerabiles Sacerdotes, et in re una atque gravissima quam agimus, ut nempe in omnium fidelium animis Iesus Christus formetur, Adiutores mei, sese convertit oratio. Nunquam fiat, ut de aliquo vestrum dici merito possit: *parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis*. Frustra apud suam Ecclesiam quisque vestrum praesto adesset, nisi panis vitae, quem laborans fame populus a vobis petit, eidem praebeatur. Quam vero iucun-

dum est mihi, commune hoc nostrum omnium officium adeo recte a vobis diligenterque praestari! Optima illa doctrinae praecepta ex conscriptis pie et sapienter libris a vobis hausta manabunt etiam in populum, qui ingentem ex vestris institutionibus utilitatem percipiet, studiumque illud, quo hanc ministerii partem exsolvitis, magnam optimi exitus spem facit. Ut vero tam grave obeatur accurate munus, in quo nullà vel maxima supervacanea diligentia est, ad fidei et doctrinae consensionem, constantiamque in posterum etiam servandam, institutionum rationem, quam potissimum sectemini, vobis proponere haud minus necessarium esse existimavi.

Universis Christianae doctrinae libris Romanus, ut nostis, omnium consensu praefertur. Quantae ille auctoritatis sit, quanto habendus in pretio liber Tridentinorum Patrum iussu confectus, a Romanis Pontificibus probatus, et iterum iterumque propositus, a celeberrimis Ecclesiis cupide exceptus et per nostras Synodales constitutiones peculiariter commendatus, supervacaneum arbitror dicere, ea aequo libentique animo renovans, quae de hoc Decessores mei sapienter curarunt. Sed cum vel difficultas sermonis, vel fortasse nimium sublime dicendi genus in causa sit, ut imperiti et minus exculti literis homines eodem uti nequeant, mihi visum est alium praeterea omnibus accommodatum recipere, qui cum Romani Catechismi doctrina apprime consentiens iis unice potest non probari, qui rectam quae in eo continetur doctrinam oppugnare volunt. Cum ergo sit et patrio sermone et ad rudiorum etiam hominum captum accommodate conscriptus, mihi ferendum omnino non esse censui, ut creditus mihi Populus tam opportuno praesidio careret. Editus iam Neapoli, Genuae, nuper autem Venetiis est atque etiam ultra montes hoc titulo: *Educazione ed istruzione cristiana, ossia istruzione generale sulle verità Cristiane in forma di Catechismo*. Iterum nunc ad Ecclesiarum mihi concreditarum usum utilitatemque, me auctore, vulgatur, eoque vos uti valde iubeo, ad maiorem populi commoditatem, quem ad eum legendum vestrum erit vehementer hortari, rerum ordinem accurate sequentes, quae ibidem ex Romani Catechismi doctrina vobis occurrent, apertissime planissimeque explicatae. Iuniores vero Clericos, qui vestras Paroecias incolunt, admonebitis hunc fore in eorum doctrinam inquisitionis caput. Quod vero ad Sacerdotes in Sacellis intra ve-

strae

strae Paroeciae fines positis Missam celebrantes pertinet, omnibus diebus festis huiusmodi institutiones post Evangelium ordinatim iisdem legendas praecipimus, vobisque in eum finem mandamus, ut in id inquiratis attentius, et quotannis, cum Foranei Vicarii una simul conveniunt, referatis, ut si quid in ea re peccatum fuerit, possit adhiberi remedium, quemadmodum facere mihi certum est, ipsorum etiam Sacellorum interdicto. Quippe Religionis historia, Ecclesiae doctrina, eiusque in precationibus, ritibus, et caerimoniis mens, certae morum regulae, Iesu Christi documenta, omnia demum in hoc Catechismo simpliciter dilucideque explicantur, ita ut hunc ex multis mihi eligendum esse existimaverim. Cum vero perillustris meus Decessor, intelligentissimus huiusmodi rerum aestimator, tam bene de illo iudicasset, cum vestrum nonnullis, qui eodem utentes utilissimum experti sunt, probatus maxime fuerit, plurimique aliarum Dioeceseon Parochi uberrimos inde fructus perceperint; eo magis adductus sum ad hunc proponendum Christianae doctrinae librum omnino a vobis in populorum institutione adhibendum, qui una eademque nimis quidem necessaria doctrinae ratione ad totius Religionis cognitionem utiliter tandem pervenient.

At si in huiusmodi re, quae adeo mihi curae est, Parochorum charitatem diligentiamque pro certo habeo non defuturam, an vero Populos eadem utendi studiosos fore aeque possum confidere? Ne quaeso in re tanta, quantum Religionis quam colitis studium est, errare velitis, Fratres carissimi. Ne vos nihil amplius necesse habere putetis, ubi per totum Esurialium feriarum tempus sacras conciones audiveritis. Religionis studium totius vitae studium est. Institutiones praeterea, quae per Parochos in Christianae doctrinae Scholis, vel per alios quibus legitima auctoritas est, in iis quae Missiones dicuntur vel certis quibusdam piarum exercitationum diebus habentur, aptiores quidem utilioresque sunt, quam tot illae conciones, in quibus non meditanda proponitur Iesu Christi lex, sed complures, tam sancto abutentes ministerio hominum commenta proferunt, ita ut mirum nemini esse debeat, adeo tenuem brevique periturum colligi ex iis fructum, in quibus lucrum tantum spectatur et gloria. Haud inficior multos esse Apostolicos viros, qui magno Dei Ecclesiae praesidio et adiumento sunt, eorumque labore atque opera populi pietatem augeri maxima animi

mei laetitia, ac voluptate conspicio. Hi quidem non destruunt, sed aedificant; his maximam habeo gratiam, atque ut magna eorum aliquando sit merces, aeternum Pastorem enixe precor At huiusmodine, Fratres carissimi, universi sunt? Si res ita se haberet, eadem exactis esurialibus feriis atque antea non adeo cerneremus dominari vitia; suorum aeque officiorum ignara multitudo non esset, atque ante auditas conciones; neque fortasse pravas quasdam de Sacramentis, de recta illorum suscipiendorum ratione, de sacris expiationibus sive Indulgentiis, de Purgatorio, de originali peccato opiniones imbibisset. Quam raro contingit, ut audiantur e suggestu, qui recte de officiis illis disserant, quae subditis erga Principes, in parentes liberis, Ecclesiis erga alias Ecclesias mutuo praestanda sunt! Atqui plurimum isthaec Religionis intersunt. Huic igitur malo gravissimo occurrendi causa, ex quo interdum fit, ut aliqui nequam Apostoli a legitimis Pastoribus aedificata diruant, Religiosis inhaerentes sapientissimi piissimique Principis nostri consiliis, qui vere Christianum hominem Subditorum omnium longe esse fidelissimum habet animo persuasum, edicimus, ut nemo deinceps praeter Parochos audeat habere conciones vel institutiones ad populum, nisi scriptam antea obtinuerit eius rei facultatem ex Cancellariis Pistoriensi et Pratensi gratuito dandam, quam quo libentius ultro iis offeram, quos mihi aliunde compertum est officio suo facere satis, eo cautius, immo potius nullo pacto ignotis mihi hominibus concedam nisi facto prius eorum doctrinae, pietatis, ac prudentiae periculo.

His ergo constitutis optime rebus nemo, carissimi fratres, merito dixerit, sibi adiumenta deesse, quibus Religionem, uti par est, possit cognoscere. Sed alia praeterea sunt, optimi nimirum libri, quorum lectione adiuvari quisque maxime poterit. Sacra Scriptura ille praecipue liber est omnium Fidelium manibus assidue terendus. Eadem in patrium sermonem extat fidelissime conversa, ne tam utili lectione careant, qui alias praeterea linguas nequaquam intelligunt. Hanc etiam ob rem Metropolitanus meus de Italica Ecclesia est optime meritus, cum postremis hisce temporibus primus vanam illam opinionem comtempserit, qua pretiosissimus hic aeternae vitae panis subtrahebatur populo, sacros omnes libros accuratissime vertens et idoneis illustrans interpretationibus, ita ut fuerit ipso Summi Pontificis ore merito laudatus.

Itala

Itala quoque Sacyi totius versio iam in lucem edita saluberrimum praebet Fidelibus pabulum, qui praeterea piam in illo literalis et spiritualis sensus explanationem invenient et Sanctorum Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum libris exceptam. Veteris autem Testamenti historiae epitome ab eruditissimo piissimoque Mensanguyo elaboratas, qui iam Italice redditus Vincentiae, prostat et Ecclesiastica Racinii historia, cuius Etrusca versio Religiosi Principis auspiciis paene iam edita typis est, duo libri sunt, qui totius continent Religionis historiam tanta pietate tantaque elegantia conscriptam, ut ad eos comparandos et quotidie legendos nequeam satis Christianas omnes familias hortari. Non ea est, Fratres carissimi, Ecclesiae Christianae historia, quae nulli curae vobis esse debeat. Impleta ibidem vaticinia et promissa narrantur, nec non diversa, quae Deus in suam gentem saeculorum decursu exercet, modo iustitiae qua vel ad puniendos improbos vel ad faciendum electorum periculum mala permittit aut infert, modo plenissima misericordiae et amoris iudicia, qua bona opemque largitur, et in electorum salutem suaeque Ecclesiae decus mala ipsa convertit. „ Messiae gloriam maiestatemque in divinis literis tantum „ agnoscere (ait eximia doctrina et sanctitate Episco„ pus) neque immensam eiusdem cruciatuum probrorum„ que vim introspicere; en scopulus quem offenderunt Iu„ daei. Facta a Christo Iesu mystico suo corpori promissa „ spectare, et ne minimum quidem ad praenunciata pariter ei„ dem mala mentem intendere, magnum et grave est homini „ Christiano periculum; illis enim pravis notionibus dece„ pti vel ob ea quae patitur mala ignoramus Ecclesiam, vel „ Ecclesiae decus et gloriam mala ipsa ducimus. Nequa„ quam seiungenda, quae in Religionis ratione coniuncta „ sunt sibique cohaerent; et ad veram concipiendam status „ Ecclesiae notionem promissa et vaticinia simul spectanda, „ diversa conferenda simul oracula, neque dubitandum, quin „ omnia sint accurate perficienda „ (1). Nullos ad hanc rem laudatis superius Mesanguyo et Racinio magis accommodatos proponere vobis me posse libros existimavi. Hos comparare vestrum compluribus grave nimium nequaquam erit, modo serio animadvertere vobis lubeat, bene meritoque esse huic tam

 ido-

(1) *Instruction pastorale de Mons. l'Evêque de Senez sur l'autorité infallible de l'Eglise etc.*

idoneo ad studium tantopere necessarium adiumento comparando impensum, quidquid in voluptates inanemque ornatum cultumque profunditur.

Iis vero, quorum id facultates captumque superat, laudatus superius satis esse poterit Catechismus in huius Urbis et Dioeceseos usum propositus; nec non aureus ille, cuius Mesanguyus est auctor, Pougeti institutiones doctissimi Archiepiscopi della Gherardesca auspiciis in Etruscum sermonem versae, nisi tamen immutatae fuerint atque corruptae; item clarissimi Bossueti Catechismus nuper Liburni iterum editus; qui omnes sane libri Ecclesiae doctrinae apprime consentiunt in Romano Catechismo preclare et sapienter expositae. Fleuryi autem Catechismus, qui tam facile comparari ab omnibus potest, quique Sacram historiam Christianamque doctrinam paucis complectitur, nec non eiusdem in Ecclesiasticam historiam sermones duo sunt parvi quidem voluminis libri sed quantivis pretii. Liber praeterea qui inscribitur: *Riflessioni morali sopra l'Istoria del Vecchio e nuovo Testamento cavate dai Santi Padri*; cuius Royaumontius vulgo perhibetur auctor, quam recta ac preclara cuiusque conditionis fidelibus regula morum est! Bossueti etiam in universam historiam sermo nunquam satis laudabitur. Eiusdem quoque Auctoris extant mentis in Deum erectae et divina mysteria contemplantis affectus, nec non in Evangelium meditationes; denique morum scientiae specimina a Nicolio elaborata, Iesu Christi imitatio, hominis Christiani officia, aliique complures, quos in tertio Catechismi volumine indicatos reperietis; qui sane eiusmodi omnes libri sunt, ut et incitamento ad pietatem et utilissimo documento esse Fidelibus possint, atque ita dicendum merito sit non doctrinae adiumenta Christianis deesse, sed eiusdem percipiendae voluntatem.

Ne tamen putetis, Fratres carissimi, cum hos libros legeritis, licere vobis Christianae doctrinae Scholis et Institutionibus, quae habentur a Parochis aut ab aliis qui missi legitime fuerint, non interesse. Voluit namque Deus, ut per eos saluberrimum sui verbi sumeretis pabulum; quam constitutam divinitus viam legemque deferentes praecipites ruere possetis in gravissima illa mala, quibus tot miserrime adhuc obnoxios dolemus fratres, qui a nobis ea potissimum de causa discesserunt, quod non fuerunt in Ecclesia, neque ab Ecclesia Religionem edocti. Piissima tamen huiusmodi

li-

librorum lectio in iis vos confirmare doctrinis plurimum poterit, quas eo ordine accepistis, quo in Catechismo digestae occurrent; qui sane ordo felicissimis Ecclesiae saeculis fuit semper adhibitus et cuius eximium nobis exemplar praebet mira praestans sanctitate sapientiaque Augustinus. Oh me cum primis beatum, si fideles his ad Religionis studium adiumentis utendi studiosos videre contigerit! Quantum solatii capiam audiens legi cupide ab omnibus optimos libros, Parochorum institutionibus frequenter Fideles adesse, ac rure etiam, ubi semper aliquis adest legendi peritus, a bonis Patribus-familias aliquod de Religione doctrinae caput coram omnibus legi, futilibusque nugis et fabulis pravisque solatiis et voluptatibus pium aliquem subrogari librum, cuius ope Religionem, quam profitentur, rite cognoscant, et Ecclesiae mentem in iis precationibus percipiant, quae saepe proferuntur ore, quin earum vim sensumque assequantur, eo quod religiosum sacrumque habetur easdem ignoto sermone persolvere.

Finem vos adhortandi faciam, Fratres carissimi, spiritualem illam sapientiam intelligentiamque a Deo enixe vobis implorans, quae necessaria est, ne parta a vobis cognitio in ieiuna ac sterili rerum contemplatione consistat, sed uberrimos fructus ferat, ciusque ope divinae legis praeceptis consonum adeoque summo eiusdem legis auctore dignum teneatis vivendi cursum, in spiritu et veritate ipsum adorantes, omnia Religionis ergo atque ex Religionis mente suscipientes quaecumque agitis.

Meam hanc pastoralem epistolam suo quisque coram populo Parochi legant, ubi primum reddita iisdem fuerit, eiusque iteranda ipsis lectio est, quoties harum rursus institutionum cursum instituent. Suae gratiae munere omnium illabatur animis luminum Pater, ut ipsius legem discere ac nosse possimus, eidemque congruenter vivere.

Dat. Pistorii ab Episcop. Aedib. Kal. Mai. 1782.

Scipio Pistoriensis et Pratensis Episcopus

Paulus Ciulli Gener. Cancell. Episcop.

N. XXX.

N. XXIX.

Regium de Urbis Prati Paroeciis Mandatum.

Regia Celsitudo ex iis quae ipsi fuerunt ab Episcopo Pistoriensi et Pratensi proposita vult atque imperat:

I. Ut septem tantum in Urbe Prato Paroeciae sint, Cathedralis nimirum Ecclesia, Ecclesia S. Mariae vulgo *delle Carceri*, altera sub eodem titulo quae dicitur *del Giglio*, Ecclesiae S. Dominici, S. Donati, Annuntiationis, er S. Augustini. Esto autem Episcopi constituere, quibus finibus contineri, et quam late patere quaevis Paroecia debeat. Ceterae omnes tollantur.

II. Ut in Cathedrali Ecclesia Paroeciae curam gerant Canonicus et duo Coadiutores Capellani, qui ad matutinas celebrandas laudes convenire non teneantur, aliis tamen sacris rebus vel choris interesse debeant nisi fuerint legitime impediti.

III. Paroeciae vero tum S. Mariae vulgo *delle Carceri*, tum altera quae dicitur *del Giglio* per Parochum, et duos Coadiutores Capellanos administrentur.

IV. Praeter hos in Ecclesia S. Mariae *delle Carceri* octo Capellani adsint, quatuor vero in Ecclesia S. Mariae *del Giglio*, qui una cum Parocho et Coadiutoribus debeant res sacras quotidie in iisdcm Ecclesiis peragere, mane Missam, post meridiem vespertinas preces cantu celebrantes.

V. In Ecclesiis vero tum Annuntiationis, tum S. Donati, praeter Parochum, Capellanus adsit, necnon praeter Parochum alius, qui Parochi vices gerat in Ecclesiis S. Dominici et S. Augustini.

VI. In Monasterio S. Dominici duodecim Sacerdotes sint, qui Ecclesiae uti decet inserviant, Confessiones audiant; in Monasterio autem S. Augustini saltem alii duo Sacerdotes Confessionibus audiendis idonei praeter Parochum, et alterum, qui Parochi vices gerit.

VII. Ducenta quadraginta scutata annuum sunto illius Canonici, qui in Cathedrali Ecclesia gerit animarum curam nec non S. Mariae *delle Carceri*, S. Mariae *del Giglio*, S.

Do-

Donati et Annuntiationis Parochorum stipendium; cuiusque vero earumdem Ecclesiarum Coadiutoris centum et viginti: Domum praeterea et primam magisque necessariam supellectilem omnes habeant.

VIII. Singulis vero Capellanis, qui praeter Parochum et Coadiutores Ecclesiis S. Mariae *delle Carceri* et *del Giglio* inservire debent, centum scutata adsignentur.

IX. Religiosae S. Dominici Familiae scutata tercenta quotannis attribuantur, e quibus triginta Parocho, viginti vero ei, qui Parochi vices gerit, ad privatas eorum necessitates et usus suppeditanda.

X. Cum S. Augustini Coenobio sit satis abunde redituum tum Parochus, tum qui Parochi vices gerit, Paroeciae ministerio dare operam debent, quin ullum praeterea stipendium recipiant. Immo idem Coenobium triginta Parocho, ei vero qui Parochi vices gerit viginti scutata ad eorum necessitates et usus quotannis praebeat.

XI. Si vero in eodem Coenobio nulli sint, qui tum Parochi munus exequi, tum gerere vices possint, alios poterit Episcopus ad ea munera adsciscere atque instituere ea prorsus ratione quae de aliis Paroeciis praescribitur, quibus par ceteris stipendium praeter domum primamque et magis necessariam supellectilem de ipso Coenobii patrimonio solvendum.

XII. Tum Parochis, tum Coadiutoribus omnia, nullo excepto, sui ministerii officia gratis praestanda; neque ullum licebit iisdem percipere pro Missae celebratione stipendium, sed quoties eamdem celebraverint, id ipsis ea mente faciendum, ut omnibus illis legatis atque oneribus satisfaciant, quae sunt illis patrimoniis addicta, ex quibus stipendium percipiunt.

XIII. In eum finem in cuiuslibet Paroeciae Sacrario tabella adsit, in qua illorum omnium inscripta sint nomina, qui suis legatis aliquid contulerunt ad Ecclesiasticum efficiendum Parochorum, Capellanorumque patrimonium; ut in faciendo sacro et in aliis publicis precationibus praecipue eorumdem mentio fiat.

XIV. Prima itaque mensis non impedita die Sacerdotes suae quique Paroeciae addicti pro vita functis, praesertim vero pro meritis bene fidelibus Missam et Nocturnum canant.

XV. Nemini alibi quam in Ecclesia, cui addictus est, Mis-

Missam celebrare liceat, atque ut perturbatio omnis ac tumultus tollatur, quibus horis Missae sint aptis intervallis celebrandae, decernitor.

XVI. Quoties vita functis tum pauperibus tum divitibus optimatibusque iusta sunt persolvenda, omnia Christianae pietatis officia in Rituali libro praescripta gratis celebrent. Parochi vero affluentes opibus homines hortentur ac moneant, ut suos vita functos propinquos expiandi causa aliquid in pauperum Paroeciae capsulam conferant, in qua etiam redacta ex venditis cerae reliquiis (si qua tamen ab haeredibus allata fuerit) reponenda pecunia erit, salvis iis, quae consuetudine aut lege ad Ecclesiae, ut aiunt, Operam pertineret.

XVII. In singulis ergo Parochialibus Ecclesiis capsula esto, in qua erogata Paroeciae pauperibus subsidia reponantur per Parochum non sine Coadiutorum consensu distribuenda. Omnium vero reddenda Episcopo ratio est.

XVIII. Festis quibusque diebus opportuno tempore atque horis populo commodioribus praeter Christianae doctrinae rudimenta tradenda pueris, fusior Evangelii, quod eo die perlectum est, et Dioecescos Catechismi fiet expositio.

XIX. In quavis ergo Paroecia Sacellum erit, ubi in Christiana doctrina poterunt pueri seorsum a puellis institui.

XX. In idem Sacellum conveniet Charitatis vel Sacramenti Sodalitium. In singulis enim Paroeciis sub eodem titulo certus erit utriusque sexus personarum numerus, quae omnia Christianae pietatis officia gratis exerceant. Horum vero erit ex iussu et delectu Parochi SS. Eucharistiae Sacramentum ad infirmos et in publicis supplicationibus prosequi; Paroeciae infirmos in Nosocomiis et detentos carceribus invisere, mortuorum corpora sepelire, pro pauperibus subsidia colligere, aliaque omnia ab Episcopo praescribenda exercere charitatis officia.

XXI. Ex quo fit ut delenda omnino sint cetera Urbis Sodalitia, Congregationesque. Si quid tamen iuris sit eorumdem Sodalitiorum vel Congregationum membris, aequa eorum habeatur ratio. Interim si Sacerdotes delendarum Congregationum fratres aliquod emolumentum percipiunt, id ratum et integrum esto quamdiu vixerint. Episcopus tamen iisdem poterit onera illa quae sibi videbuntur imponere.

XXII. Tum Parochi, tum Coadiutorum erit audire Confessiones Monialium quae ipsorum Paroeciae finibus continentur. Quavis ergo hebdomada status esto audiendis earumdem Confessionibus dies. Nullum vero liceat quolibet spiritualis ministerii nomine stipendium aut emolumentum accipere; id enim tum Parocho, tum Coadiutoribus gratis praestandum.

XXIII. Cum vero in nonnullis Coenobiis ea lex et consuetudo vigeat, ut qui Monialium Confessiones audit, in earum Ecclesia teneatur celebrare Missam, aliquo pacto cavebitur, ut in singulis Monialium Sacellis duae festis diebus celebrentur Missae.

XXIV. Ita solvendi Confessionis Ministro stipendii onere liberatis Coenobiis, ea possent annuam pecuniae summam statuere partim erogandam pauperibus, partim Parthenophylacio suppeditandam.

XXV. Additi vero Ecclesiis *delle Carceri* et *del Giglio* Capellani praeter onus res sacras in iisdem quotidie peragendi, uti num. 4. praescribitur, Confessiones audire teneantur, vel in iis vel in aliis Urbis aut Suburdanis Templis, ubi poterunt tunc celebrare etiam Missam, vel eam Parocho praestare operam quam Episcopus aut Vicarius iusserit; tum si opus quandoque fuerit Monialium etiam Confessiones audiendi munus poterit iisdem demandari.

XXVI. Nullum tamen neque a Parocho neque a populo neque ab iisdem Coenobiis emolumentum aut stipendium liceat ipsis accipere vel ob Sacramentorum administrationem, vel ob celebrationem Missae, vel ob sacras Conciones; sed iis omnino inhaerere debent quae praescribuntur Num. XII. XIII. XIV. XV. et XXII.

XXVII. Tum Paroeciae tum Capellaniae, ne iis quidem exceptis quae Ecclesiis *del Giglio* et *delle Carceri* adiectae sunt, per concursum, ut aiunt, vel examen conferuntor, neque obtineri ab iis possint, qui alia Beneficia possident, quibus inest residendi officium, neque per alios in suum locum suffectos aut Vicarios easdem exercere liceat. Sunto etiam legitimus Ordinationis titulus. Ad examen vero seu concursum, si necessitas postulet, poterunt etiam Regulares admitti.

XXVIII. Patronis Ecclesiarum S. Marci et S. Thomae, quae tollendae sunt, ex tribus illis qui per examen probati fuerint quemcumque voluerint in illius Ecclesiae

quam

quam eligent Coadiutorem Capellanum nominandi ius esto.

XXIX. Omnes deletarum Urbis Sodalitatum Congregationum et Paroeciarum reditus ad administrationem Ecclesiae quae dicitur *del Giglio* transferantur; cuius administrationis Praefectus nominandus erit a Principe; interim in eodem officio confirmentur qui illud in praesens obtinent; ubi vero ipsi defecerint, unus memorati Ecclesiastici Patrimonii procurator instituendus.

XXX. Sacella et delendarum Paroeciarum, Sodalitatumque Templa, quae nullius usus Paroeciis erunt, in quibus posita sunt, profanentur, atque in eiusdem Ecclesiastici Patrimonii utilitatem, locatione aut venditione, aut aliter convertantur.

XXXI. Sacra etiam earumdem Paroeciarum, Sodalitatumque delendarum supellex, ea dempta, quae in urbis aut proximi Agri Paroeciarum usum seponenda videatur Episcopo, in eiusdem Ecclesiastici Patrimonii bonum venumdator.

XXXII. Deletâ S. Trinitatis Paroeciâ, quae Monialium Templo erat addicta, Moniales illae ab iis omnibus liberantur impensis, quibus eius rei gratia erant obnoxiae. Ab iis ergo solvenda quotannis Ecclesiastico Patrimonio scutatorum quinquaginta summa.

XXXIII. Parochi et Coadiutores S. Mariae *del Giglio*, Annuntiationis, S. Donati, necnon quatuor additi Ecclesiae *del Giglio* Capellani singulis mensibus ab Ecclesiastico Patrimonio exigent ratam constituti stipendii partem. Eiusdem Patrimonii sit tum sacras aedes, tum Parochorum, Coadiutorumque domos sartas tectas servare, omnesque sumptus facere ad cereas faces, sacram supellectilem, aliasque res necessarias comparandas.

XXXIV. Ab eodem Patrimonio tercentorum scutatorum summam religiosa S. Dominici Familia quotannis percipiet.

XXXV. Ex iis vero, quae singulis annis eidem Patrimonio supererunt, dotes conficiantur, pauperibus cuiusque Paroeciae puellis impertiendae.

XXXVI. Ex Capituli Cathedralis aerario singulis mensibus assignatum Canonico, qui Parochi munus gerit, et Coadiutoribus stipendium solvitor. Quod aerarium ne gravetur sumptibus, eidem attribui poterunt alicuius Canonicatus et Beneficii reditus, qui huiusmodi stipendio conficiendo sint satis. Declarandum est etiam liberari deinceps perpetuo Capitulum onere Paroeciae S. Fabiani, quae abolenda est.

XXXVII.

XXXVII. Procuratores Ecclesiae, quae dicitur *delle Carceri*, accurate expendent, quid in Capellanias, in pia Missarum legata, in *Chorales* ut aiunt distributiones, in Parochi, Coadiutorum, Exterorumque stipendium impendere quotannis soleant, et quidquid 1200. scutatorum summae deerit (ea enim pecuniae summa requiritur ut possit perfici quid quid de Ecclesia illa constitutum est) ab eo suppeditandum, qui pia patrimonia Patrimonio Ecclesiae *del Giglio* adiuncta administrat; atque ut omnis vitetur ambiguitas, aperte declaretur per constitutas Capellanias iis omnibus satis fieri Missarum legatis, quae in eadem Ecclesia, aut alibi eiusdem Patrimonii sumptibus exsolvebantur.

XXXVIII. Idem declarandum de omnibus Patrimoniis, quae Patrimonio *del Giglio* adiungentur, salvis tamen piis subsidiis dotibusque, quae ex Patrimoniis illis erogabantur. Regia enim Celsitudo vult, ut iis personarum coetibus, quibus assignata erant, deinceps etiam erogentur ut antea.

XXXIX. Quaecumque hactenus constituta sunt, illico perficiantur, quod tum ad Paroecias S. Dominici, Annuntiationis, et S. Augustini, tum ad Urbis Sodalitia et Congregationes pertinet. Ceteris perficiendis supersedeatur donec Paroeciae vacaverint, nisi viventes adhuc Parochi ultro assenserint.

Dat. XI. Kal. Sextiles An. 1783.

PETRUS LEOPOLDUS

V. ALBERTI

F. SERATI

N. XXX.

N. XXX.

Pastorales literae, dum in Cortonensis, Pientinae et Clusinae, Pistoriensis et Pratensis, Collensis Civitatum et Dioeceseon usum parvus in lucem ederetur Catechismus, ad Parochos et populum datae.

Gregorius Alexandri Cortonensis Episcopus, Ioseph Pannilinius Clusinus et Pientinus Episcopus, Scipio de Ricciis Episcopus Pistoriensis et Pratensis, Nicolaus Sciarellius Collensis Episcopus suis in Pastorali officio adiutoribus, universoque Gregi carissimo in Christo Iesu salutem et benedictionem.

Cum iam carissimo Gregi nostro comparatus a nobis fuerit Catechismus ad Fideles in omnibus Religionis officiis instituendos maxime idoneus, necessarium profecto gravissimumque relinqueremus ministerii nostri munus, si eadem illa dogmata, quae fusius in illo explicantur, breviter, summatim, et accommodate ad puerorum captum ingeniumque exiguo libro descripta proponere negligeremus. Ut enim vel a teneris annis veri perfectique fingi Christiani possint, brevi opus nimium est Catechismo qui facile simpliciterque caelestem illam pueris doctrinam exhibeat, quae illos ad Christianas colendas virtutes, Deo adiuvante, perducat. Dominus et Magister noster Christus Iesus aperte satis ostendit, quo studio, quo amore tenerrimam optimamque sui Gregis partem debeamus amplecti, cum suos increpuit incusavitque Discipulos, quod pueros benedictionem ab ipso impetraturos et ad se accedentes repellerent; cum eosdem pueros peramanter amplexus iisque manus imponens benedixit; cum eos diris omnibus devovit et severissimis se mulctaturum suppliciis minatus est, qui unum ex pusillis istis in fraudem et culpam verbis factisque induxissent. Nunquam enitemur satis, ut divini nostri Servatoris exemplo parvulos et simplices adducamus ad Deum; ut foveamus in ipsis augendamque curemus charitatem; ut nostrorum in Sacerdotio Collegarum et in ministerio Pastorali adiutorum studium vigilantiamque excitemus, ut tenellas huiusmodi plantas caelesti divini eloquii rore irrigent; ut arguamus segniores in roborandis

ita

ita puerorum animis, donec in eiusdem *fidei unitatem occurrant*, *in agnitionem Filii Dei*, *in virum perfectum*, *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. Huius gravissimae quidem rei gratia parvum hunc vobis offerimus Cathechismum quo nullus est fortasse praestantior ob eam praesertim diligentiam industriamque, qua cautum est, ut quae continentur in eo dogmata, intelligi ab omnibus facile possent, ut magis obvia et usitata adhiberentur vocabula, atque ita brevi simul et accurata, simulque etiam accommodata ad delectandum methodo pueri certissime erudirentur. Huius Catechismi ope, qui clarissimum et vivum adhuc Fratrem nostrum Archiepiscopum Lugdunensem auctorem habet, illud in Domino speramus futurum, ut uberrimi edantur aeternae vitae fructus, et quemadmodum nos illum ceu publicae doctrinae normam amplexos esse gaudemus, ita nostra vobis grata sint studia eoque sponte, sollicite ac diligenter utamini. Ne umquam tanta irrita et vana sit spes. Nihil utilius, nihil magis opus est quam ut vestra huic rei opera etiam accedat. Unitatis quidem studium charitate suffultum atque inflammatum quod ad maiorem amplectendum Catechismum nos compulit, nostras etiam in minori deligendo cogitationes curasque consociavit. Et cum ab ipso Auctore presse omnia accurateque dicantur, ipsi praeterea studiose effecimus, ut Etrusca eiusdem versio sit omnibus accommodata. Primam namque huiusce Catechismi partem quae veluti omnibus absolutus numeris Catechismus appellari potest, minori aetate pueris reperietis aptissimam; ceteras vero partes grandiusculis et perspicacioris ingenii adolescentibus posse tradi, omnia demum perspicua esse et intellectu facillima deprehendetis. Cui autem id rei foret nisi quae Christianae doctrinae praecepta traditis, populi aetati facultatique accommodare summopere studeatis; nisi pro diversa illorum, quibus ad Chrisum Iesum duces estis, intelligentia, studiis, voluntatibusque diversa ineatur a vobis docendi ratio? Quaenam inde utilitas profluet, si Catechismi doctrina auribus tantum memoriter percepta retineatur, quin insideat penitus animo penitusque intelligatur, vel quod alicuius vocabuli vim sensumque assequi non potuerint, vel quod ad usitatos dicendi modos, ad audientium intellectum ingeniumque non satis descendistis? Quae si effici sine gravissimo ac ferme assiduo labore studioque non possunt, ea vos, carissimi Fratres, cogitatio consoletur atque erigat, quod hisce curis laboribusque

non

non parum adiumento estis ad integram in pueris, quam per Baptismum acceperunt, iustitiam sanctitatemque servandam, ad ingerenda ipsorum animis Christianarum virtutum semina, quae gloriosam tandem pariant immortalitatem. Quaenam gravissima neglectam puerorum disciplinam consequuntur incommoda! Si inolescit et dominatur ubique vitium, si tam alta Ecclesiae infliguntur pravis moribus et impietate vulnera, ex huiusmodi negligentia unice mala ista profluere fatendum est. Quanam re fit, venerabiles Fratres, ut vel in agris remotissimis ubi inops et assiduis exercita laboribus vita omnes illos sanctos ac bene moratos efficere deberet populos, extinctum ferme sit Religionis studium, nulla Dei cognitio sit reliqua; quanam, inquam, id alia re contingit, quam Pastorum in suo pascendo impigre grege indiligentia? Quod si firmum grassanti longe lateque et inveterato malo cupimus adhibere remedium, praecipitem impietatis cursum valido opposito aggere et propugnaculo retardare et perfectam Domino parare plebem, qua in melius commutetur renoveturque Ecclesiae facies; nulla id melius perfici ratione posse dicendum est, quam vestro Religionis studio et industria illa ferventique charitate quae vos ad erudiendos accommodate pueros excitet, ut iidem vel a teneris annis Religionem penitus discant, eiusdemque maiestate, sanctitate, atque ornamentis cognitis atque perspectis eam revereantur ac diligant. Gravis quidem haec et molesta, iterum ultro fatemur, vestri ministerii pars est. Sed et ea, quae vobis hactenus consideranda proposuimus, et optima sapientiae et charitatis praecepta quae in eo D. Augustini libro qui *de Catechizandis rudibus* inscribitur, quemque ut attente perlegatis vos etiam atque etiam oramus, aeque ac in altero quem idem Ecclesiae Doctor *de Doctrina Christiana* confecit, passim occurrunt, in eam nos adducunt spem fore, ut et nostrum omnium vota et vestri ministerii officia, ea denique omnino impleatis, quae a vobis iure meritoque Ecclesia simul et Respublica expectant. Quod si, ut facilior vobis et pueris utilior institutio fiat, alia per alios libros subsidia quaeritis, praeter Catechismum a clarissimo Episcopo Colberto scriptum, quem Magni Ducis et Principis nostri Religio ac pietas in publicis utendum Scholis proposuit, vos etiam hortamur, ut vel Catechismum Historicum a doctissimo Fleuryo elucubratum, vel eum, qui trium Henricorum dicitur, ab Episcopo Verthamontio in lucem editum,

aut

aut illum denique perlegatis cuius sapientissimus Bossuetus est auctor (1) quibus omnibus eximiis sane libris suam Deus Ecclesiam ditavit. Hi scilicet eadem omnes sentiunt, integram omnes atque expertem errorum doctrinam tradunt, id unum universi student, ut omnium animis haereat penitus et dominetur charitas, nil in iis quaecumque docent sibi proponunt aliud quam huiusmodi amorem, in quo *universa lex pendet*, eiusdemque *legis plenitudo* versatur. His tamen laudibus, carissimi Fratres, minime praestat Cathechismus ille cuius vulgo habetur Bellarminus auctor. Itaque vos monitos volumus vel ab initio ea huic libello fuisse clanculum inserta, quae et auctoris et Pontificis Clementis VIII. menti erant omnino contraria; ab eo insuper, qualis nunc omnium teritur manibus, tum piam Catholicorum Principum vigilantium, tum prudentissimam complurium Episcoporum pietatem excitatam in id consensisse ut perpetuae ipsum oblivioni traderent. Vanae profecto, parumque accuratae quae in eo continentur sententiae, permulta quae desiderantur necessaria dogmata, remissioris morum doctrinae praecepta, inepta quaedam et futilia documenta ferenda nequaquam

 sunt

(1) *Istruzioni sopra la Dottrina Cristiana ricavate dal Catechismo Romano e da altri approvati ad uso delle nuove Scuole erette in Firenze per ordine di S. A. R. il Serenissimo Arciduca Gran Duca* PIETRO LEOPOLDO *felicemente regnante*. Florentiae apud Caietanum Cambiagium 1779.

Catechismo Storico che contiene in ristretto la Storia Santa e la Dottrina Cristiana del Sig. Claudio Fleury tradotto dalla Lingua Francese nell' Italiana. Neapoli in Abbatiana Typographia 1783.

Catechismo ovvero Dottrina Cristiana impressa per ordine dei Vescovi di Angers, della Roccella, e di Lusson e ristampata per comando di Mons. di Verthamont ora Vescovo di Lusson tradotta dal Francese. Venetiis apud Antonium Veronensem 1761.

Catechismo, ossia istruzione di Mons. Iacopo Benigno Bossuet Vescovo di Meaux utilissima ad ogni sorta di persone ec. e fatta ad insinuazione di Monsig. Angiolo Franceschi Arcivescovo di Pisa per uso della sua Diocesi. Liburni per Calderonium et Fainam 1779.

sunt in animarum innocentiae laude praestantium perniciem, quae ex illo studio venenum haurire non debent, ex quo foret ducenda vita, neque ea ignorare quorum, maxime necessaria cognitio est. Vetamus ergo, ne amplius Bellarmini Catechismo eiusque, ut dicitur, doctrina utamini, simulque praecipimus et hortamur, ut hunc adhibeatis, oramusque Deum, ut laborem ac patientiam vestram large copioseque prosperare velit. Quod superest ad Patres omnes Matresque et ad universos qui in nostris Dioecesibus familias regunt, plenissimam amoris studiique orationem convertimus. Ne vos vestros instituendi filios cura officioque liberatos esse existimetis, carissimi, licet summo studio assiduaque diligentia ita instituantur a Parochis ut digni fiant qui mysteria divina percipiant. Memineritis oportet per sacrum coniugii vinculum fuisse vobis ex Christianae Religionis praeceptis datos divinitus liberos instituendos, atque optimis tum exemplis cum doctrinis ad eos recte facta excitandi munus impositum. In eum unice finem eorum procreatis corporibus estis eorum patres, ut tales etiam in fingendis eorumdem animis ipsi vos praebeatis. Quo autem gravior culpa vestra haec negligentia foret, eo magis a plerisque tristi quodam complurium rerum concursu negligitur ac pro nihilo habetur. Ultima plerumque illa Parentum cura est, ut dociles puerorum animos Religionis amore imbuant, atque ad eius studium et cognitionem alliciant. Ieiuna et superstitiosa interdum piarum quarumdam exercitationum scientia, quae pietatis tantum speciem habent totum illud tempus haurit quod dandum utili solidaeque institutioni foret. Magis curae est plerumque hominibus ad commoda et utilitates vitae civilis liberos fingere, ipsosque futilia quaedam et periculosa edocere, quibus in festivo aliquo hilarique coetu cum primis emineant, quam quod spirituali animorum bono moveantur. Vel ipsa quaedam iis saepius arrident liberorum vitia, et quod mali ingenii indicium est in iuvenilem quemdam ac brevem impetum aut alacritatem conferunt, quam alacritatem ut ad utilia convertant, adlaborare patrius amor dubitat, ne offensionis aut querimoniae materiam liberis praebeat. Sed quos in Christiana virtute potius quam in huius vitae commodis honoribusque liberi faciunt progressus, vero patris illius animum gaudio perfundunt, qui ex praeceptis Evangelii se gerit; vehementius enim ipsorum peccatis vitiisque movetur quam adversis quibusque rebus quas pati vel morbis vel morte vel quavis

alia

alia calamitate possunt. Vos ergo ex animo oramus obsecramusque, ut vestrorum Pastorum curis studia vestra adiungatis, atque ita in puerorum animis efformetur Christus, et in sempiternum beatumque tempus vestra Deum O. M. colat et laudet haereditas. Hunc in manus Catechismum sumite, hunc audientibus liberis, domesticisque perlegite, et divinis quas continet veritatibus eos imbuendos nutriendosque curetis, ut rectam salutis insistant viam, ut praecepta quae audiunt per charitatem implentes, dum aetate adolescunt, in omnibus crescant in Christo Iesu qui nostrum exemplar et caput est. Hac igitur spe freti et exorantes demisse Deum, ut omnium animis sanctissimae quam nobis tradidit, quamque universi vitae sequi debemus ducem, doctrinae amorem ingerat; venerabilibus nostris in pastorali ministerio adiutoribus, universoque gregi carissimo Apostolicam benedictionem impertimus.

N. XXXI.

Datae ab Episcopo ad Foraneos Vicarios litterae de eorum Matrimoniis, qui Brephotrophiorum sive Hospitalium filii dicuntur.

Per singulos Regios Vicarios iterum a Principe nostro imperatum est, ut statim omnia deletarum Sodalitatum Altaria destruantur. Ut igitur quantum in me est haec Regis imperata quam celerrime perficienda curem, atque omnem morae causam praeripiam, tuum erit, A. R. Frater, exquirere, qui nam ex tui Vicariatus Parochis, quamque ob rem significata iamdiu mandata nondum perfecerint eiusque rei, ut me certiorem quamprimum facias, expecto.

Id te simul etiam monemus, ut Parochis istis significes Florentini Brephotrophii sive Hospitalis vulgo *degl' Innocenti* Praesidem conquestum esse, quod ipsorum nonnullis eorum denunciare matrimonia dubitent, qui Hospitalis filii dicuntur atque iisdem Matrimoniis adesse, licet per Ministrum huic rei praepositum moniti fuerint, ac de nullo constet impedimento. Spectata igitur eiusdem Hospitalis ratione eique peculiariter attributa venia eiusmodi Matrimonia denunciare deinceps poterunt atque iisdem adesse, nisi iuxta adsit

secus agendi causa ; tunc enim ipsorum erit eam causam opportune significare .

Tui interim cum observantia me profiteor esse

Pistorii prid. Non. Decemb. An. 1785.

Servum Fratremque Amantissimum,
Scipio Pistoriensis et Pratensis Episcopus .

N. XXXII.

Pistoriensis et Pratensis Episcopi de novo Cordis Iesu cultu Pastoralis Epistola .

Scipio de Ricciis Pistoriensis et Pratensis Episcopus Gregi sibi carissimo salutem et benedictionem .

Eam omnis Religio , carissimi Fratres , cum Iesu Christo Domino nostro necessariam habet coniunctionem ut de illa neque cogitare possimus , uti decet , nec loqui quin simul in sanctissimum hunc humani generis Servatorem oculos coniiciamus . Is enim cuiuslibet sit oportet pietatis auctor atque institutor ; unus namque verae Religionis studium largiri potest et gratiam , unusque est eorum omnium norma exemplar et caput , qui veram colere pietatem volunt . Idem , ait D. Augustinus , *orat pro nobis ut Sacerdos noster* , *orat in nobis* , *ut caput nostrum* , *oratur a nobis* , *ut Deus noster* . Igitur si nulla vera esse pietas potest , nisi gratiae adsit et precationis spiritus , pietas quaelibet a Christo Iesu profluat , Christi Iesu praeceptis excolatur , ad Iesum Christum referatur; necesse est , ut Evangelio sit consona quod in spiritu et veritate Deum adorandum esse nos monet .

In hac temporum colluvione etiam nimis multas religiones habemus, Fratres carissimi . Illa deest, quae unice est necessaria , quaeque in eo versatur, ut capiti ac Servatori nostro Christo Iesu conformes efficiamur, ita ut iure meritoque dicendum etiam de nobis sit, quod de suis temporibus D. Augustinus aiebat Religionem nempe ac pietatem *in phantasmatis nostris* a nobis poni . Illa errorum vitiorumque parens , quam vano sapientiae nomine venditant , indigna suo nomine philosophia

phia, quae corporea dumtaxat ac terrena persequitur, illa Phariseorum arrogantia et superstitio, quae humanae prorsus iustitiae aeternam salutem pollicetur, pulcherrimam postremis hisce temporibus deturpant Ecclesiae faciem; ac duo praecipua isthaec sunt et gravissima inflicta eidem vulnera, uti vetere iam ad exitum properante foedere factum fuerat per impiam Phariseorum et Sadducaeorum disciplinam; quin tamen Christi fideles tot commentitiis, anilibus, ridiculisque pietatis exercitationibus, vel huiusmodi malorum praecipites progressiones cursumque retardare, vel opportuna remedia iisdem adhibere possint. Quin potius cum utràque re ulcus illud abunde alatur et gliscat, quod longe lateque serpit, totumque mysticum inficit Christi corpus, a levissimis hisce novique exempli religionibus omnia deridendi, pervertendique occasionem homines arripiunt, ut vel naturalis cuiusdam, quam commenti sunt, Religionis, vel Iudaicae Pelagianaeque iustitiae in dies magis impietatem confirment.

Ex quibus facile vobis erit colligere, Fratres carissimi, utrum verae pietati obsistendi libido, an prudens Religionis et divinae domus studium eo me impulerit, ut vos quid de Sacri Cordis Iesu cultu sentiendum sit, edocerem. Ipsamet Romana Ecclesia, quae ceterarum parens et magistra est et Catholicae unitatis centrum, huiusce cultus auctorum fautorumque postulata semel iterum ac tertio reiecerat, neque festum eiusdem diem umquam institui passa erat, quemadmodum magnus ille et gloriosae recordationis Pontifex Benedictus XIV. id nobis aperte confirmat. Quod si anno 1765. ut Cordis Iesu festus dies ageretur repetitis fatigata precibus tandem concessit vel potius permisit; nemini tamen huius celebrandi necessitatem imposuit, atque in hac re tam caute sese gessit, ut si Religiosi illi homines constitutos fines minime essent praetergressi, neque docti Theologi Romae et alibi cultum illum palam oppugnassent, neque eximia praecellentibus doctrina tum primi cum secundi ordinis Pastoribus tot tamque studiose multiplicatos libellos damnandi, vel indecoras vetandi eiusdem Cordis imagines vel huiusmodi cultum corrigendi nulla umquam fuisset occasio. Sacra Rituum Congregatio, Pontificatum regente sanctae recordationis Clemente XIII. habita, crebris molestisque addictorum huic cultui hominum postulatis concedere se posse censuit, numquam vero statuere ut seligeretur anni dies, atque in honorem Christi Iesu ob ardentissimam eius erga nos charitatem ima-

gine cordis expressam proprio Officio et Missa, peculiarique Indulgentia celebraretur; numquam vero in animo habuit novum huiusmodi cultum, qui suum a corde nomen accepit, veluti toti Ecclesiae utilem, multoque minus ad Iesum debito honore prosequendum, divinoque amore inflammandos fideles necessarium proponere. Qui enim Christo debetur honos a novis pietatis exercitationibus, quarum nullum in sacris literis, nullum in Apostolica Traditione extat vestigium, nequaquam pendet; *dilectio* enim *Dei custodia legum illius est*.

Sed per Decretum Anno 1765. editum deceptis vana pietatis specie hominibus minime est satis factum. Voluissent enim, ut Sancta Sedes vel cunctas ad hunc novum amplectendum cultum Ecclesias adigeret, vel saltem eum veluti Christi Fidelium bono accommodatum summo studio commendaret, vel iis eum finibus non circumscriberet, quibus omnino ille cultus excluditur, quo intimam illam Corporis partem, quae cor Iesu dicitur, nec non charitatem ipsius imagine cordis repraesentatam colere se posse comminiscuntur. Qui profecto non vident neque sanctissimam Iesu Christi carnem, neque eiusdem carnis frustum, neque integram ipsam humanam naturam a divina seiunctam, neque ullam Christi virtutem, neque charitatem aut eius imaginem supremo latriae cultu fas esse prosequi. Absit enim, ut Christianorum quispiam sibi persuadeat illum a Sancta Sede probari cultum, qui Iesu cordi a nonnullis aestuantibus mentis furore hominibus adhibetur, eamdemque velle contra solemnes totius Ecclesiae in Oecumenicis Synodis congregatae sanctiones debitas Emmanueli adorationes augere. Probe tenet Sancta Romana nostrum mater et magistra Ecclesia anathema in eos dictum, qui Christum Iesum dividunt, quique in illud discrimen fideles adducunt, ut Iesu Christi carnem vel eius partem adorent, eam a divina natura Nestoriana divisione aut nimium subtili distinctione seiungentes; qui denique unam deberi Christo adorationem non credunt. Haec, inquam, probe tenet Sancta Romana Ecclesia, idque luculenter ostendit, cum tot sanctissimis conclamantibus Episcopis suam et ipsa vocem extulit, et famosam nimium damnavit electi a Deo populi historiam a Berruyerio conscriptam qua non solum certissima fidei dogmata ille Auctor oppugnat, sed universos Nestorii errores impudentissime renovans maximum Incarnationis evertit ac delet omnino mysterium.

Si

Si ea vobis, carissimi Fratres, fides est, quae per dilectionem operatur; si quemadmodum Apostolus praecipit, quotidie augetur in vobis Iesu Christi cognitio si eius nempe mysteria, exempla, miracula, documenta, dolores, cruciatus, Ecclesiam denique quae mysticum est ipsius corpus cognita in dies magis habetis atque perspecta; si Iesu Christi cruci haeretis affixi, eiusque vestro corpore impressa stigmata geritis; si toti estis in legendo meditandoque Iesu Christi Evangelio, qui per Confirmationis sacramentum eam vobis contulit gratiam, ut ipsum confiteri numquam erubescatis; si demum praecipue colitis, atque in deliciis habetis SS. Eucharistiae Sacramentum, quod ab Augustino dicitur *signum pietatis*, *Sacramentum unitatis*, *vinculum charitatis*; in quo non una tantum Christi caro, sed omnis inhabitat plenitudo divinitatis, quae in duabus naturis hypostatice coniunctis subsistit, ac revera adest: si haec omnia, carissimi Fratres, perficitis, quid opus est vobis novum hunc Sacri Cordis Iesu cultum amplecti, sine quo tot Saeculorum cursu veri Christi Fideles ad sublimiorem perfectionis gradum pervenerunt? Si vero haec minime facitis, cuinam vobis ille cultus utilitati foret? Qui sane cultus, qualis fuit Romae saepius reiectus, et qualis a nonnullis caeco quodam furore actis praedicatur, damnandus omnino est, neque probari ullo modo potest. Idem ille cultus, qualis fuit Romae permissus, utilis cuipiam esse fortasse poterit, sed ea, quae dixi, facientibus minime necessarius. Hunc vero si quis vestrum adhibeat, in periculum venire facillime potest, ne in errorem illum prolabatur in quo plerique Cordis Iesu cultores versantur, qui vel malitiose vel inscienter venia illa abutuntur, id quod vel ignorant, vel non debent, adorantes.

Oro igitur vos atque obtestor, Fratres carissimi, per Iesum Christum Dominum nostrum, in quo vos omnes ex animo ac vehementer diligo *suscipite in mansuetudine insitum verbum quod potest salvare animas vestras*. Numquam a me, neque ab iis qui vos in fidei rudimentis instituentes rationabili divini verbi lacte aluerunt, in eam adducti estis opinionem, Christum Iesum secus colendum nobis diligendumque esse ac maiores nostri fecerunt. Absit, ut melius coli diligique a vobis posse existimetis. Ne vos *omni vento doctrinae* circumferri patiamini, *profanas vocum novitatibus* nullo non tempore abhorrentes. Pastori Patrique

vestro firmissime adhaereatis, qui secum animo reputans summo Pastori et iudici severissimam animarum vestrarum rationem sibi esse aliquando reddendam, vere est de ipsarum salute sollicitus; unam eamdemque cum ipso doctrinam retineatis. Quidquid inter Fideles serere dissidia potest, ex quibus potissimum disseminandi in agro dominico zizania ac venenatas herbas occasionem arripit inimicus homo, summopere execramini.

Aureum hoc pacis et concordiae vinculum, quod inter Pastorem et Gregem, Filium inter Patremque intercedat necesse est, ac necessario postulat, ut ipse quidem pericula a vobis avertam, certamque, quantum in me est, vestram vocationem et electionem faciam, vos tandem mihi dociles et obsequentes ipsos praebeatis, simulque idoneos paratosque *ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe:* hoc, inquam, sacrum aureumque vinculum me adigit, ut vos moneam veram illam pietatem, quae a nobis miseris scelestisque hominibus, postulatur eo debere tandem evadere, ut ipsi nos Deo totos devoveamus; ut eorum, quae in ipsum impie et flagitiose admisimus, nos vere et ex animo poeniteat, ut summam ipsius misericordiam nostramque imbecillitatem contemplantes demisso ad eum confugiamus animo, intimoque dolore affecti veniam nostris criminibus imploremus. Secus namque non modo ille nihil nobis proderit corporeus sacri Cordis Iesu cultus, qui ab hominibus veram prudentemque pietatem colentibus probari nullo pacto potest nec recipi, sed ne ille quidem spiritualis ac mysticus, quem dumtaxat sacra Rituum Congregatio permisit.

Ea Iesu Christi Domini nostri, qui erga nos charitate maxima incensus per Cordis imaginem repraesentata nova hac festi diei permissa celebritate unice colitur; ea, inquam, mens ac voluntas est, ne pietatis mel cum poenitentiae mirrha confundamus, ne absynthii nostrarum scilicet culparum amarities ab iis quodammodo obruatur, qui pollicentur pacem et non est pax, qui bonis suavibusque verbis et mellitis super oleum sermonibus blandiuntur, qui tamen sermones infecta veneno iacula revera sunt. Quare D. Bernardus docet non ad exules Evae filios, qui miserrimam hanc luctus regionem incolunt, festorum dierum multitudinem frequentiamque pertinere, sed ad Regni caelestis cives, ubi perpetuum agemus festum diem, si in Dei miseratione spes nostra bene erit ac firmiter posita. Ex qua una re facile

intel-

intelligetis, utrum eorum qui sui ingenii commenta venerantur et colunt postulatis Sacra Rituum Congregatio volens lubensque tandem annuerit.

Rem ergo paucis concludamus; certum nempe esse corporei Cordis Iesu cultum felicissimis Ecclesiae temporibus novum prorsus atque inauditum impiorum, ludibrium, et iocum Philosophorum, a quibus non sine ingenti dolore Sadducaeorum errores vel suos inter Filios iterum disseminatos cernit Ecclesia, pharisaicae pietatis fomentum et pabulum, nihil ad studium illud excitandum valere, quo inflammati esse poenitentes debent quorum princeps, caput, atque exemplar est Christus Iesus. Eius quippe caro seiuncta a Verbi divinitate, quod in ipsa non mystice sed vere plenissimeque per substantialem unionem, non per operationem tantum suo veluti in corpore inhabitat, nihil prodest; spiritus enim est qui vivificat. Has igitur, Fratres carissimi, novas calamitates infirmitatesque doleamus, quas ab hisce carnei Christi cordis cultoribus Ecclesia *in multis patitur, in paucis gemit*; atque interim quod ad nos attinet id unice studeamus, ut humilitas, patientia, charitas Christi Iesu altius in dies nostris in animis radices agat: haec enim una ac vera est cognoscenda nobis pietas, et studiose exercenda.

Gratia Dei sit cum vobis omnibus.

Dat. Pistorii ab Episcop. Aedibus III. Non. Iun. 1781.

SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

Paulus Ciulli
Cancellar. General. Episcop.

N. XXXIII.

N. XXXIII.

Episcopi litterae, quibus libellum Via crucis *inscriptum ad Dioecesis suae Parochos misit.*

Munus a piissimo quodam doctissimoque Monacho accepi, mihi quidem propterea iucundius quod cum universo grege carissimo illud possum communicare. Parvus quidam libellus is est, illam continens pietatis exercitationem, quae *Via Crucis* dicitur (1); in quo non piae quaedam opiniones, sed vera et gravissima dogmata de Christi Iesu qui nostrum exemplar est cruciatibus et morte contemplanda proponuntur. Hunc opportunius offerre gregi non posse me arbitror, quam per Parochos ipsos in Pastorali officio adiutores fratresque meos spectatissimos. Complura itaque eiusdem ad te exempla mittimus, A. R. Frater, ut ea distribuas ao veluti quoddam praemium illis des qui Catechismo intersunt.

Hunc libellum in omnibus Civitatum et Dioeceseon mihi concreditarum Templis adhiberi volumus, quoties contigerit, ut publice pia haec exercitatio habeatur, quae cum ubique iam invaluerit, ad eam universos ipsi etiam libenter hortamur, utpote quae ad eam ingrediendam tenendamque viam nos facile potest adducere quae ab aeterno Pastore monstrata nobis fuit, quaque una ad illam obtinendam in Caelis gloriam pervenire licet, quam suis ille cruciatibus suaque nobis morte promeruit.

Aeternum interim Patrem orans, ut in omnem Populum sui effundat divini Spiritus gratiam, qua per Iesu Christi merita granum hoc tenuissimum uberrimos fructus edat, sua-

(1) *Pio esercizio detto* la Via Crucis *dedicato a Monsignore Scipione de Ricci Vescovo di Pistoja e Prato ec. Firenze 1782. per Antonio Giuseppe Pagani.*

suarumque precationum opem vehementer universos exposcens, tui me observantiae plenum esse profiteor

Pistorii Kal. Quintil. 1782.

Servum fratremque amantissimum,
SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

N. XXXIV.

Datae ab Episcopos ad Vicarios Foraneos litterae.

Chartula quaedam elapso proxime mense disseminata in hac Urbe fuit veluti Romae, Venetiis, ac Florentiae edita atque ita inscripta: *Decreto per la Città di Roma e per tutto il Mondo Cattolico*. Hac rudibus et incautus hominibus suaderi contenditur, immensis spiritualibus donis a Romano Pontifice cumulatam fuisse excogitatam quamdam trium personarum societatem in SS. Trinitatis honorem coeuntium. Immodica sacrarum expiationum sive Indulgentiarum profusio, ternarii numeri superstitiosa constitutio, ac paene certa spes quae ibidem affertur per levia quaedam pietatis opera obtinendi in caeleste Regnum aditus, ea sunt ut quicumque recte sapit, facile inde possit colligere decretum illud fuisse ab Auctore suppositum, licet clarissima eius qui a Secretis Romanae Indulgentiarum Congregationis est, et Propraefecti nomina ausus sit eidem adscribere. Adeo mihi persuasum erat fictum huiusmodi decretum habendum pro nihilo ab omnibus et contemnendum, ut te de illo monere ferme ducerem supervacaneum, praesertim cum vigilantia eorum, penes quos rerum summa est, illud in vulgus disseminari vetuerit. Sed animo reputans, quantum periculi rudis et indoctae pietatis hominibus immineat, praesertim ab iis, qui falsas narrationes venditant, vel stipem quaeritantes hac illaque perpetuo circumcursant, id te praemonere volui ut in vera et Catholica tradenda de sacris expiationibus sive Indulgentiis doctrina, uti in Dioecesis Catechismo exponitur, praemuniatur Populus adversus huius generis chartulas quas forte inimicus homo posset furtim inve-

inducere in agro illo serens zizania quem nobis colendum tradidit Deus O. M. Quod eo magis tibi significare meum esse existimavi, quod aliam quamdam video vulgari chartulam ineptis et superstitiosis rebus refertam, falso editam Florentino praelo, falsoque Indulgentiarum beneficium iis promittentem, qui semel iterumque vanas quasdam precationes et salutationem Angelicam a festo D. Andreae die ad Iesu Christi natale recitaverint.

Tuum ergo erit, A. R. Frater, meas hasce litteras omnibus tui Vicariatus Parochis significare, eorumque excitare studium, ut eo magis ad eas doctrinas animum attendant, quas Pseudo-Apostoli rure disseminatum accederent, populumque moneant, ne speciosis quibusdam nominibus, neve effusis et catholicae veritati contrariis pollicitationibus patiantur se decipi. De quo ut certiorem me facias expectans, Tui me observantiae plenum esse profiteor

Prati postrid. Non. Decembr. 1784.

Servum Fratremque Amantissimum,
SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

N. XXXV.

Pastorales Episcopi litterae de Subditorum officiis erga Principem.

Scipio de Ricciis divina miseratione Pistoriensis, et Pratensis Episcopus suo gregi carissimo, spiritum humilitatis et obedientiae.

Cum aeterna Sapientia, ac Dei Filius Iesus Christus Dominus noster praeclaram sublimissimamque, et suavissimam simul religionis rationem hominibus patefecerit, nullus amplius relinquitur quaerendi disputandique locus, quodnam sit summum illud atque ultimum, ad quod tendere, quod spectare praediti ratione homines debeant in quo exquirendo tantopere ethnici philosophi nequicquam laborarunt. In uno eius aeterno atque omnipotenti Deo positum est eorum bonum, qui intelligentia praestant. Ea inter, quibus illud consequi aliquando possumus, haud amplius gravissi-
ma

ma recensentur imperata olim Iudaeorum genti opera, quae cum inania per se et ieiuna forent, iis tantum proderant, qui divini Servatoris promissiones praescriptis a Lege ritibus quasi quibusdam velis latitantes dignoscebant, earumque effectum precibus votisque omnibus properabant. Nullo iam populorum, generis, conditionis, aut fortunae discrimine edictum est omnibus: in spiritu et veritate adorate Deum; in Deum Patrem omnipotentem, in unicum eius Filium, quem ad vos misit, in Divinum Spiritum, qui vos consolatur, sanctosque efficit, credite; omnem locate in eo spem, qui e lapidibus filios Abrahae suscitare potest; eum tota mente, et in ipso fratres vestros diligite, et sancti eritis; dociles Ecclesiae vocibus aures praebete, quae eâdem, qua divinus eiusdem Sponsus, miseratione permota vos infirmos reficit, dubitantes confirmat, ac docet, Sacramentis nutrit; et ad aeternae felicitatis portum sine ullo errandi periculo pervenietis. At quis credat? Tanta praestantem principiorum simplicitate, suavitate praeceptorum, doctrinae perspicuitate Religionem amplecti detrectant quamplurimi; ex iis vero qui eam se profiteri gloriantur, pauci illius mentem assequuntur, eiusque institutis ac legibus convenienter vivunt. Superbia illa, qua primus nostrum omnium parens Adam a Deo defecit, funestissima tanti mali causa et origo est. Bonum illud respuere videntur homines, quod suis acceptum referre viribus nequeunt. Frustra laborant, ut dissipatas sibi cisternas fodiant, aquis, quibus expellere sitim possint, continendis minime idoneas, sanctissimae Religionis auctoritati auscultandi obsequendique loco, quae verum aquae vivae fontem demonstrat, et qua illum attingere ratione valeant, aperte docet. Ne, carissimi Fratres ac Filii, illa animi elatione sinamus nos decipi, quae in nobis adhuc exardescit ac viget. Ea quidem nos monet, hominem divinitus ratione donatum ad excellentiora et sublimiora fuisse factum, quam cetera res omnes creatas, quae illum circumstant. Sed neque illa nobis detegere eoque minus nos valet ad illa perducere. Una est splendidissima Religionis lux, quae gressus nostros confirmat ac regit, et magnum Filii Dei, qui humanam pro nobis naturam induit, mysterium pateficiens, unum acceptis ob illam noxam damnis remedium ostendit, et qua ope ad primum nostrum beatumque finem tendere ac pervenire possimus, nos docet.

Ex quo facile intelligetis, quam merito cum voce tum

scri-

ptis suadere vos de Religionis penitus cognoscendae necessitate studuerim, qua id perfici ratione possit, demonstraverim, denique per Catechismum in huius Dioecesis usum editum facilem vobis rectamque eius rei viam tradiderim. Id tamen meo erga vos amori satis non est. Vestrarum namque animarum cura, quae nobis fuerunt ab aeterno Pastore concreditae, eo etiam nos adigit, ut per peculiaria et clariora praecepta in huiusmodi studio ipsi vobis praebeamus nos duces, ex omnibus quae a Religione imponuntur officiis, modo hoc, modo illud plane atque ut ita dicam membratim explicantes, ea praesertim quae ab ignaris et iniquae mentis hominibus fuerunt densis adeo tenebris obruta, ut, nullo fidissimo duce, periculum sit, ne ruatis in errorem praecipites.

Sed quam obscurare potissimum contendit hominum superbia et arrogantia, et cuius gratiâ meum esse arbitror vos adversus audaces illorum, qui nihil credunt, qui falsam pietatem colunt, conatus confirmare, veritas illa est, quae sanctissimum obsequentis, demissi, et morigeri summis Potestatibus, animi ad regendos homines divinitus constitutis, officium spectat. Elati superbia homines, quod se ceteris animantibus praestare sentiunt, simulque malo quodam ingenio eo impulsi, ut iisdem citra omnem legem modumque utantur, leges illas iniquo animo ferunt, quae ambitioni ceterisque pravis animi motibus veluti quoddam fraenum iniiciunt; nihil idcirco intentatum relinquentes, ut leges ipsas eludant, vel easdem ferentis auctoritatem in dubium revocant, vel in re tantum externa, et quae nihil attingit animum, earumdem observantiam ponunt, vel tandem immunitatibus quibusdam aut privilegiis nituntur, quae cum peculiari aliquo statu vel conditione necessario coniuncta esse volunt. Nec defuerunt aliqui praestantes doctrina viri, qui specie quadam pietatis auctoritatem apud vulgus assecuti teterrimis huiusmodi opinionibus fidem aliquam conciliarunt, suaque prostituentes scripta, ut ambitiosis hominibus adularentur, privatae turpique utilitati commune societatis bonum devoverunt. Ita de iis quaeri dubitarique coeptum est; quae antea vera esse patebat manifestissime, atque ut obscuriora in dies fierent, parum accuratae pravaeque institutiones accesserunt. Eo deinceps processit malum, ut omissis impiis illis ac scelestis hominibus, qui cum eorum, qui

Chri-

Christi Domini in Sacris literis dicuntur ac revera sunt, caede manus sacrilegas cruentassent, eos exhorruerunt aequales, execrantur posteri, paucis iam Religio sit de Principibus eorumque ministris parum honorifice loqui, latas leges conqueri, easque, cum impune id facere se posse rentur, infringere.

Hi profecto mentis humanae errores sunt ratione, qua nihil homini maius meliusque a natura datum est, abutentis, quibus ratio ipsa vehementer reclamat, penitus adversatur Religio. Eadem illa, quae vel ab ipso ortu homini inest infirmitas, plurima quorum in vita assidue necesse habet et quae sine aliorum ope sibi comparare nequit, totidem veluti inditae penitus animo voces sunt, quibus homines ad vitae societatem a natura fuisse factos perpetuo monemur suademurque. Quonam vero pacto singulorum hominum, qui perturbationum aestu abrepti sibi invicem adversantur mutuumque inter se bellum gerunt, utilitates et commoda ad commune bonum converti possent ac dirigi, nisi adesset, qui subiectus nemini, praesidens atque imperans ceteris, totius corporis seu societatis ordini incolumitati et saluti prospiceret? Ex qua re adeo perspicua facili ratione colligitur, a Deo optimo maximo, qui hominem condidit, eique suavissimum illud pronumque ad societatem ineundam ingenium indidit, summam etiam oriri Principum potestatem, sine qua ipsa hominum societas stare nullatenus posset. Sacra Principum persona est, honor iisdem, simulque demissus et obsequens debetur animus, eorum mandatis ac legibus accuratissime obtemperandum est. Ne vos eorum quispiam decipiat, qui gloriosum sibi Philosophi nomen arrogant, quique amorem et benevolentiam erga alios homines simulantes Societatem ipsam hominum funditus evertunt, dum non Dei, sed populi ministros esse Principes docent. Licet enim a delectu et consensu multitudinis orta primum fuerit forma regiminis; Principis tamen auctoritas non a multitudine sed ab uno Deo suam ducit originem. Data quidem divinitus populo regiminis deligendi facultas, sed quemadmodum haud eorum qui Episcopum eligunt voluntate creatur Episcopus, sed in pastoralis Iesu Christi auctoritatis partem per sacram ordinationem advocetur necesse est; ita haud consensus multitudinis, sed Deus ipse Principes efficit, suae eos potestatis participes faciens, qua et legitimi constituuntur Principes, verumque ius et imperium eisdem confertur in

Sub

Subditos; quare non populi administri ab Apostolo Principes dicuntur, sed Dei; a Deo enim suam omnem acceptam referunt auctoritatem. Habito vero semel delectu regiminis in uno illud administrante Principe posita est legitima ferendarum legum potestas. Qui sane Princeps in Imperiis, quae successionis iure obtinentur, numquam deficit, sed cum eius auctoritatis usus ad legitimos successores perpetuo transeat, hinc fit, ut in iisdem debeamus nullo non tempore perspicuam et praesentem Dei, quem non videmus, auctoritatis imaginem revereri.

Religio quidem, quae tantum abest ut sit rationi contraria, ut rationem ipsam eo magis perficiat, quo ipsa praestantior est, adeo huiusmodi rerum veritatem illustravit, et qua late patent tam clare universo orbi proposuit, ut reus culpae sit, qui easdem ignorat, malus, versutus, et fallax qui corrumpere audet, et quibusdam limitibus circumscribere.

Omnis anima (inquit ad Romanos simulque ad universos Christi fideles D. Paulus) *potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt: itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. (ad Romanos cap. XIII. v. 1. et 2.) (1). *Admone illos* (ad carissimum Discipulum Titum scribens ait idem Apostolus) *Principibus et Potestatibus subditos esse, dicto obedire*. (Epist. ad Titum cap. III. v. 1.). Haud minori verborum et sententiarum gravitate Apostolorum princeps huiusmodi praeceptum indicit; ait enim. *Subiecti estote omni humanae Creaturae propter Deum sive Regi quasi praecellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei*. (D. Petrus Ep. I. cap. 2. v. 13. 14. 15.). Sed longum nimis esset, si ea omnia sacrarum literarum loca proferre vellem, quibus tum divina Regiae potestatis origo patet, tum gravissimum erga Principes observantiae et obedientiae traditur et inculcatur officium. Divinum huiusmodi librum pervolvite, hunc, uti Chri-

(1) *Ministri enim Dei sunt*. (D. Paulus Ep. ad Rom. cap. 13. v. 6.)

Christianum hominem decet, saepe consulite; quidquid de hac re Divinus Spiritus praecipit, docili aure animoque accipite, meorumque veritatem dictorum penitus persuasam habebitis.

Quae Religionis Christianae mens et ratio sit, neminem adeo ignorare arbitror, ut credat, praeceptum illud, de quo mihi sermo est, eo tantum spectare, ut poenas illas declinemus, quibus mulctantur a Principibus sontes, nullum praeterea peccatum aut crimen esse eorum leges reprehendere, de tributis et vectigalibus conqueri, atque ea minime solvere, modo id impune liceat. Nihil Christiana Religio praecipit, quod in externo tantum opere positum sit, neque suis legibus ac praeceptis satis factum existimat, si metu dumtaxat serventur. Irrogata in legum violatores nobis quidem pertimescenda supplicia; sed nisi a metu ad iustitiae amorem gradum faciamus, nisi ex huiusmodi amore profluant quaecumque agimus, digni sumus, qui pharisaeos inter et hypocritas, haud veros inter Christi fideles recenseamur, quibus exploratum esse debet, facta omnia non ex alia re quam ex charitate, quae factis inest, aestimari.

Praeterea si peccat qui cuivis homini detrahit, aliorumque facta vel dicta in peiorem partem rapit, quo graviori se obstringere crimine dicendus est, qui eadem admittit adversus Principes, de quibus scriptum legimus: *Principi Populi tui non maledices* (Exod. cap. 22. v. 28.) et alibi: *Deum timete*, *Regem honorificate*? (D. Petrus Ep. I. cap. 2. v. 17.) (1)? Si nefas est rem alienam invadere, annon nefas erit iis fraudare Principes quae ipsis debentur, cum idem ille Deus O. M. qui dixit: *non furaberis*, illud etiam praeceperit: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari?* (D. Math. c. 22. v. 21.) (2).

L Ne vos

(1) *Male velle, male facere, male cogitare de quoquam ex aequo vetamur; quodcumque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam. Quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum qui per Deum tantus est.* Tertull. Apolog. 36.

(2) *Si censum Dei Filius solvit, quis tu tantus es qui non putes esse solvendum?* D. Ambros. lib. 4. ad caput 5. Luc.

Ne vos decipiant, qui nimium gravia esse vectigalia dictitant, et sibi licere arbitrantur latas a Principe leges ad trutinam revocare, ut eas reprehendant et carpant. Hoc superbi hominis est atque arrogantis, qui vult de iis loqui, qui rem privatam communi praefert Societatis bono. Unus ad id divinitus constitutus Princeps ut praesenti Regni incolumitati et tranquillitati prospiciat, cognoscere potest, quid opus habeat Respublica, et quam singuli cum toto corpore coniunctionem habeant; quod sane officium cum divinitus fuerit eidem impositum, accurate illud perfecerit nec ne, uni Deo reddere rationem debet non privatis civibus, quorum est in rebus, quae eorum conditionem superant, iussa Principum revereri, iisque diligentissime obtemperare. Quod si altissimo Dei consilio interdum fit, ut vel optime affectus animo Princeps errore vel fraude deceptus innoxium hominem opprimat, cuius quidem rei Sacrae literae in Rege illo exemplum praebent, qui iuxta cor Dei erat (lib. 2. Reg. c. 16.), nihil aliud agendum superest nisi ut de re ipsa cum Principe expostulemus, sic tamen ut quemadmodum magnus ille vir Arnaldus sapienter animadvertit (1) sit comes veritatis observantia. Quamvis enim iusta adsit acceptam iniuriam conquerendi causa, gravissimi reus criminis foret quicumque in eo summi illius praetergrederetur obsequii fines, quod a Deo sacris illis iubemur adhibere hominibus, quos nobis ipse praefecit. Si quae relata a nobis sunt atque exposita vel reiiciantur, vel ad Regis aures nequaquam perveniant, divina tacite ac sine querela suspicere debemus, ac revereri iudicia; uni namque Deo eorum quaecumque agit reddenda Principi ratio est. Piissimi tunc fidissimique Miphibosethi exemplum est nobis imitandum (2).

Haec in laudata superius ad Romanos Epistola Apostolus docet. Huiusmodi namque rem oratione persequens ex eo universa subditarum gentium erga Principes officia ducit, quod ita ipsi constituti a Deo fuerint, ut nullus in eorum impe-

---

(1) *L'innocence opprimée V. Partie*.
(2) *Lib. 2. Reg. c. 19. Vide Sacyum in hoc caput, et Mésanguyum lib. V. cap. 13. Epitomes historiae Veteris Testamenti*.

imperata inquirendi locus relinquatur. *Dei enim*, inquit, *minister est. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem* (D.Paulus ad Rom. c. 13. v. 4. 5. 6. 7). Haec edocti qui primis Ecclesiae Saeculis floruere, Christiani licet ethnicis Imperatoribus subiecti qui plerumque humanitatis expertes Romanum impotenti dominatu administrabant Imperium, Regiae tamen potestati semper morigeri atque obsequentes, domi subditos pacatissimos, strenuissimosque in praeliis, quae adversus Regni hostes gerebantur, milites sese praebuerunt. Nullum de hac re dubitandi locum relinquunt historica, quae ethnici ipsi scriptores literis mandarunt, monumenta, Acta Martyrum, conscripti a D. Cypriano, ab Irenaeo, ab Origene libri, nec non Christianorum defensiones, quas Iustinus, Athenagoras, et Tertullianus magna animi confidentia Imperatoribus obtulerunt. *Cuius iussu* (aiebant omnium nomine Irenaeus, Tertullianus, Polycarpus, Iustinus) *homines nascuntur, huius iussu et Reges constituuntur* (Irenaeus lib. V. cap. 24). *Inde est Imperator unde et homo, antequam Imperator; inde potestas illi, unde et spiritus* (Tertull. Apolog. 30.). *Praeceptum nobis est ut Magistratibus et Potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus* (Polycarpus ad Procons. apud Euseb. lib. IV. cap. 15.). *Colimus Imperatorem sic quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quidquid est a Deo consecutum, et solo Deo minorem* (Tertull. ad Scap. cap. 2.). *Illud etiam studio nobis est, ut vectigalia et census iis quibus hoc munus commisistis* (Imperatores) *primi omnium pendamus quemadmodum a Christo instituti sumus* (Iustinus Apolog. I. n. 17.). Tunc solum parere detrectabant, cum eos conabantur adducere vel ut impia in verum Deum maledicta iacerent, vel ut fictos Deos thure votisque sacrilege venerarentur. Ne tamen existimetis, tum etiam cum Deo magis obedire expedit quam hominibus, quemadmodum ab Apostolis factum legimus, vim vi studuisse eosdem repellere, et tumultibus seditionibusque publicam tranquillitatem perturbare. Ethnicos ipsos Tertullianus alloquens confidenter affirmat, eam fuisse Christianorum multitudinem, ut id audere facile possent, numquam tamen ausuros; id enim

 Christi.

Christi Discipulis nequaquam licere intelligebant (Tertull. Apolog. 37). In uno fidei clypeo universa quibus utebantur, posita arma erant. Quo clypeo protecti atque muniti pro iustitia decertabant, non resistendo, sed praedicando veritatem, non probris et conviciis adversus insectatores iaciendis, sed pro illorum salute, pro incolumitate ac felicitate Regni eumdem illum devovendo sanguinem, quem Religionis asserendae causa innoxiae veluti victimae effundebant.

Neque haec immutata vel minimum doctrina fuit, cum huiusce Terrae Reges ac Principes, suavissimo accepto Iesu Christi iugo, veluti eximium ornamentum ac decus illam in fronte praeferre crucem, quae probrum antea et stultitia habebatur, et quam acerrime exagitaverant Ecclesiam, tueri ac propugnare sibi laudi duxerunt. Tunc palam vulgari fides coepta est, tunc deleto Idolorum cultu sublatum est nostrae Redemptionis signum. Sacri maximo in honore et gratia erant apud Principes ministri, qui aeternae vitae verbis, divinisque mysteriis Principes ipsos pascebant. Cum latius in dies Religionem protendi gauderent viri illi sanctissimi, tantum abfuit, ut divino praecepto, quo obedientia et observantia erga Principes imperatur, fines aliquos statuere, aut ab illo immunes esse vellent, ut potius maiori studio monuerint populos, ut in fide manerent erga Principes, omnium primi latas a Principe leges reverenter acceperint, et sine querela studuerint iisdem congruenter vivere, licet res tantum profanas aut civiles externamque Ecclesiae et Clericorum disciplinam illae persaepe spectarent. Eorumdem libros qui divina providentia ad nos usque pervenerunt, carissimi Fratres, consulite; atque aperte intelligetis, modo cum D. Augustino ex iis quae praesens hominum vita opus habet, obtemperandi legibus necessitatem inferri, quin unquam iisdem resistamus (1); modo cum DD. Ioanne Chrysostomo, et Gelasio Pontifice ad omnes extendi illud Apo-

(1) *Quod autem ait: ideoque necessitate subditi estote; ad hoc valet ut intelligamus quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quod sibi potestas data est, temporalibus rebus etc.* D. Augustinus in Ep. ab Romanos Expl. n. 74.

Apostoli praeceptum: *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*; quicumque fuerit vel Apostolus, vel Evangelista, vel Propheta (1); modo cum SS. Ambrosio et Augustino neminem eximi tributa aut vectigalia solvendi onere eiusdemque nostrum omnium, praeceptoris ac Domini Christi Iesu exemplum afferri (2). Si factam a Constantino M. Ecclesiis fundos acquirendi habendique facultatem certis quibusdam finibus circumscribit Valentinianus (3); legiti-

(1) *Ostendens hoc omnibus imperari Sacerdotibus etiam et Monachis, nec Saecularibus tantum; hoc ab exordio declarat, dicens: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etsi Apostolus esses, et si Evangelista et Propheta, et si quivis alius. Neque enim haec subiectio pietatem subvertit. Nec simpliciter dixit, obediat, sed subdita sit* (D. Ioannes Chrysostomus homil. 23. in Epist. ad Rom.) Et D. Gelasius in Ep. ad Imp. Anastasium: *Quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites.*

(2) *Si tributum Imperator petit, non negamus: agri Ecclesiae solvunt tributum; si agros desiderat, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrum intervenit.* (D. Ambrosius in Orat. contra Auxentium n. 33.). Et D. Augustinus de cathec. rudibus cap. XXI. „ Dicit Apostolica doctrina,
„ ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit,
„ et ut reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum,
„ cui vectigal vectigal, et cetera, quae salvo Dei nostri
„ cultu constitutionis humanae Principibus reddimus,
„ quando et ipse Dominus, ut nobis praeberet exemplum
„ pro capite hominis, quo erat indutus, tributum solvere
„ non est dedignatus.

(3) *Censemus etiam, ut memorati Ecclesiastici aut ex Ecclesiasticis, vel qui continentium se nomine volunt nuncupari, nihil de eius mulieris, cui se privatim sub praetextu Religionis adiunxerit, vel donatione vel testamento possint adipisci. Quin etiam si forte post admonitionem legis nostrae aliquid iisdem eae feminae vel donatione vel extremo iudicio putaverint relinquendum, id Fiscus usur-*

mam Imperatoris auctoritatem agnoscunt, demisse legem accipiunt, nec aliud quidpiam conqueruntur quam quorumdam Clericorum cupiditatem, qui in causa fuerant, ut lex illa sanciretur (1). Si cuiusdam conditionis homines Principis edicto atque imperio admitti vetantur inter Clericos, nemo est qui repugnet (2). Si monasticam vitam amplecti vetantur milites idem D. Gregorius cognomento Magnus, ad quem suam miserat legem Imperator, rem Principi modeste retulisse satis habens legem ipsam proponit (3), et si quidquam in ea temperat, id ea re unice facit, quod et Principis mentem esse arbitratur, cuius singularem pietatem cognitam satis ac perspectam habebat (4).

Longe alias sequioribus saeculis, ut supra demonstratum est, disseminatas fuisse doctrinas neququam me latet. In dubium revocata est divina Regiae potestatis origo, summumque Principum nullique obnoxium auctoritati humanae in

---

usurpet. Codex Theodosianus lib. 16. Tit. 2. de Episc. Eccles. et Cler. lib. 20. Vide lib. 27.

(1) *Nobis etiam privatae successionis alimenta recentibus legibus denegantur, et nemo conqueritur; non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus* (D. Ambrosius Epist. ad Valentin. 11.) Et S. Hyeronimus Epist. ad Nepotianum: *Pudet dicere: Sacerdotes Idolorum, mimi et aurigae et scorta haereditates capiunt; solis Clericis et Monachis hoc lege prohibetur, et prohibetur non a persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo cur hanc legem meruerimus... Provida severaque legis cautio, et tamen nec sic refraenatur avaritia*.

(2) Vide Codicem Theodos. lib. 16. tit. 2. l. 3. 6. 17. 19. 21.

(3) *Ego iussioni subiectus eamdem legem per diversas Terrarum partes transmitti feci*. D. Gregorius M. Ep. ad Maurit. Imp.

(4) *Qua de re etiam Christianissimus Imperator, mihi credite, omnino placatur et libenter eorum conversionem suscipit quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit*. D. Gregorius M. lib. 8. Epist. 2. ad Metropolit.

in civilibus administrandis rebus arbitrium. Ipsorum imperio subtrahere plerique conati sunt, omnes tum fortunas cum personas suas, atque universas omnino res, quae aliquo pacto ad Ecclesias, sacrumque ministerium pertinent; eoque devenerunt nonnulli, ut promissis quae divinitus facta sunt, et tradita a Christo Iesu Ecclesiae potestate turpissimo abutentes, D. Petrum tum sacra tum civili in universa terrarum orbis imperia auctoritate donatum fuisse contenderint, cum a Christo Domino Regni Caelestis claves accepit (4). Neque mirum, carissimi Fratres ac filii, huiusmodi doctrinas ad excitandam fovendamque vitiati culpa hominis arrogantiam aptissimas adeo penes vulgus invaluisse, iis praesertim temporibus, quibus irruentibus longe lateque barbaris, Imperii maiestas imminuta est, universus rerum civilium ordo perturbatus.

Quidnam doctrinae illi, quam superioribus saeculis, quibus Ecclesia et Respublica maxime floruit, Christiani profitebantur, quidnam, inquam, obesse poterant pervulgatae

L 4

(1) *Ecclesiae claves Regni Caelorum datae sunt cum Petro datae sunt, et cum ei dicitur ad omnes dicitur: Amas me, pasce oves meas etc.* D. Augustinus de Agone Christi 30.; et in Tractatu 50. in Ioan. *Petrus quando claves accepit Ecclesiam sanctam significavit.*

Non monstrabunt puto qui hoc dicerent, ubi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse lego Apostolos iudicandos, sed ipsos iudicantes non lego. Erit illud, non fuit .... Ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa et non propter has accepistis claves Regni Caelorum, praevaricatores utique exclusuri, non possessores .... Habent haec infima et terrena iudices suos Reges et Principes Terrae. Quid fines alienos invaditis, quid falcem vestram in alienam messem extendis? D. Bernardus lib. 1. de Consideratione cap. 6.

Inter Regnum et Sacerdotium propria cuiusque distinguuntur officia, ut et Rex armis utatur Saeculi, et Sacerdos accingatur gladio spiritus qui est Verbum Dei. D. Petrus Damian. lib. 4. Epist. 9.

tae miserrimis iis tumultus et ignorantiae temporibus opiniones? Nihil profecto; quin immo si excitati calamitosis temporibus tumultus summaque legum et cuiusvis scientiae ignoratio quae inde non sine maximo detrimento profluxit, licet non omnino purgare, eorum culpam tamen saltem imminuere possunt, qui se novis doctrinis decipi passi sunt, nullus nostris hisce temporibus purgationi locus esse potest, ex quo falsa atque inania esse demonstratum est illa nomina, quibus innituntur quaecumque ii tam iniuste atque absurde contendunt, et Sacerdotii atque Imperii iura fuerunt clarissimo in lumine collocata. Nunc enim quis nesciat quemadmodum unius Sacerdotii est fidei servare depositum, et divini expositione verbi et Sacramentorum administratione ad aeternam in caelis vitam fideles ducere; ita ad Regem pertinere civilium quarumlibet profanarumque rerum procurationem, cuius uni Deo reddenda ipsi ratio est, qui huiusmodi officium eidem commisit?

Ne vos, Fratres carissimi, seu vera seu falsa decipiat quorumdam pietas ac doctrina, qui iura Principum angustioribus ausi sunt limitibus circumscribere. Haud nunc primum contingit, ut scientiis abutantur homines, et falsis rationibus vel eximia pietas inducatur in fraudem. At si rem introspicere velimus attentius, numquam alias magis cum Evangelio pugnantia veluti certam disciplinae rationem fuisse posita reperiemus, quam ex quo novam Evangelio doctrinam subrogare cupientes summum ipsi Deo in mortalium animos imperium denegarunt. Nil mirum ergo, si cum tam impiae tamque absurdae doctrinae inanium Saeculi sapientum animis radices egerint, adeo ab ipsis omnia corrupta fuerunt atque permixta, ut audacissime asserere non dubitaverint, assentatoris esse praesentem et conspicuam in huiusce Terrae Principibus agnoscere et fateri invisibilis Dei potestatis imaginem. Duo haec veritatis praecepta adeo sunt inter se coniuncta ut alterum oppugnari nequeat, quin alterum simul omnino tollatur. Nullos reperietis tot excitantibus ad arma, ad tumultus, ad caedes doctrinis magis refertos libros, quam penes impiae illius opinionis auctores fautoresque quae summam Dei in hominum mentes ac voluntates potentiam inficiatur. Longus nimium essem, si referre vobis vellem, quemadmodum id factum fuerit, et falsas illas singillatim ratiocinationes detegere, quibus non sine incautorum hominum offensione ac periculo uti complura alia sanctissimae nostrae Religionis

dog-

dogmata, ita hoc conati sunt obscurare. Unum illud principium, cui veluti firmissimo fundamento quibuslibet temporibus adhaeserunt contra profanas erroris novitates Religionis propugnatores, adversus insidias fraudesque, quae parari fortasse possent, satis vos instruent.

Suam Christus caelestem doctrinam Apostolos docuit eamque posteris omnibus per suos successores ad finem usque saeculorum tradi iussit; ut vero eam ab illis vicissitudinibus vindicaret, quibus humana quaeque subiiciuntur, suo omnipotenti praesidio Ecclesiae pollicitus est sese perpetuo adfuturum, quo praesidio munita et integram illam servaret, et constanter praedicaret. Ex quo fit, ut necessaria traditae ab Iesu Christo doctrinae nota sit vetustas; ita ut ea vere Christi doctrina sit, quae singulas retroactas aetates relegens suam a Christo Iesu et ab Apostolis acceptam refert originem, hominumque commentis tribuendum sit quidquid posterius traditum est. *Illud verum*, Tertullianus aiebat, *quod prius*, *falsum quodcumque posterius*. Quod sane effatum cum de fide agitur, nullam patitur exceptionem.

Quo posito, ut quaevis de Principum potestate et debita iisdem obedientia radicitus controversia tollatur, universos, qui illam imminuere, hanc veluti parvi momenti rem traducere vellent, rogate, ut aliquod eorum, quae asserunt, petitum ex sacris literis, ex Patribus, ex Conciliis, septem et octo primis Ecclesiae Saeculis habitis, afferant testimonium, eosque rubore suffusos videbitis obmutescere. Vos interim iisdem ostendite, tantum abfuisse, ut aliquem civilis iurisdictionis actum exerceret Christus Dominus, ut suum de hoc mundo Regnum non esse declaraverit (1) et cum pro salute nostra Patri se offerre vellet, dum iniusto se iudici subiicit, Regiam potestatem e Caelo profisci fateatur (2); Apostolos vero tum edoctos divini Magistri exemplo, tum singulari praecepto monitos cuiusque generis dominatu abstinuisse, parendumque esse Principibus per-

---

(1) *Regnum meum non est de hoc Mundo*. D. Ioan.
(2) *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*. D. Ioannes c. 19. v. 11.

perpetuo tradidisse (3); neque aliter ab eorum successoribus fuisse factum, uti ex allatis superius eorum, quos scripserunt, librorum locis, et ex aliis compluribus quae afferri possent apparet manifestissime; denique iisdem illis, quibus alia sentiri vulgarique coepta sunt miserrimis sane temporibus Concilia, Episcopos, praestantes pietate et doctrina, Scriptores non defuisse, qui publicum Ecclesiasticae doctrinae perhibuerunt testimonium, eamque continenter ad nos usque transmiserunt (2). Ex quibus omnibus inferre vobis et quidem invictissime licet, ab iis veritatem stare, qui doceat, parendum esse Principibus, eorum in civilibus administrandis rebus potestatem a Deo ipso proficisci, eamque exercentes uni Deo esse subiectos. Huiusmodi namque doctrina ex una in aliam aetatem regrediens ad Christum ipsum tandem pervenit et in eum desinit. *Illud verum, quod prius*, iterum Tertulliani verbis utar, *falsum quodcumque posterius*.

Res ita se habet: quicumque estis, carissimi Fratres ac Filii, sive summo sive humili loco nati, sive ex populo homines, vestrum est obedire Principi et quidem propter conscientiam, illius nempe Dei gratia, qui id vobis praecepit, sine disputationibus, sine querelis. Ipsi vos ab eorum societate seiungite, qui de eo audent parum reverenter loqui, a quo regimur et gubernamur. Si aeterna vobis salus cordi est, ne eum adhibeatis vestrarum animarum ducem, qui vel minimum diversae doctrinae praebet indicium, licet Angelus e caelo delapsus appareret extrinsecus. Parcite metu, ne quid ita de Ecclesiae potestate detrahatur. Nequaquam id fiet, pius inquit et sapiens Scriptor, modo in quo Ecclesiae potestas posita sit, recte intelligatur. Virtute potens, fide fortis ac strenua, firmissima eorum, quae ipsi promis-

(1) *Scitis quia Principes et Reges gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Vos autem non sic*. D. Matth. c. 20. v. 25.

(2) *Vide Parisiense Concilium An.* 729. *habitum*, *Concilium Lauracense An.* 843., *Francorum Regum Capitularia*, *Rhemensem Hincmarum*, *Attonem Vercellensem Episcopum*, *D. Bernardum*, *Ildebertum Cenomani Episcopum*, *Gersonem*, *aliosque complures*.

promiſsa divinitus fuerunt, spe constans atque immobilis Ecclesia est.

Vera unice profert ac docet, iusta imperat, amore regnat, fiducia tantum ad obedientiam adducit; in eo eiusdem versatur maiestas et gloria, quod ea omnia contemptui habet, quae amittere vel inviti cogi possunt mortales, et illud omnium quidem maximum ac praestantissimum unice spectat, ut homines ad Deum tandem aliquando perducat. Quoscumque sibi subiectos habet, Altissimi filii sunt; eo redeunt universa eius erga ipsos officia, ut Dei nomine eisdem dux et magistra sit, eâque unâ re ipsis antecellit ac praestat, ut ipsis prosit et quodvis dominatus studium et cupiditatem aversetur ac spernat. Summum illud atque ultimum, quod unice habet propositum, vita aeterna est, cuius dum adventum expectat, eo suas omnes cogitationes, curasque convertit, ut et homines, et ea omnia quae illos circumstant pacata servet, eosdem admonens, ut Religionis ergo Societatis ordinem revereantur, ac perturbare perhorrescant, et Dei iussu eâque mente quae Christianum hominem decet constitutis hic ab eo potestatibus sese firmissime subiiciant, dum reliqui homines cupiditate vel metu vilissima veluti mancipia iisdem patent (1).

Utinam quotquot sunt sacro ministerio addicti illius tantum auctoritatis, atque excellentiae studiosi, quae eorum dignitati propria inest, tandem aliquando ea sibi desinant arrogare, quae ad ipsos minime pertinent, unde non sine gravi Religionis detrimento tot sunt exortae simultates, suspiciones, iurgia, dissidia. Vos autem, venerabiles Sacerdotes, in animarum cura ac regimine adiutores mei, vos, inquam, hoc rogo, et qua donatus a Deo sum auctoritate etiam iubeo; saepe populos de officio illo monete quo revereri Principem

---

(1) *Quoniam dixit*: necessitate subditi estote; *ne quis non integro animo et pura dilectione subditus fuerit huiusmodi potestatibus*, *addidit dicens*: non solum propter iram sed propter conscientiam, *idest non solum ad iram evadendam quod potest etiam simulate fieri*, *sed ut in tua conscientia certus sis illius dilectione te facere cui subditus fueris*, *iussa Domini tui*. D. Augustinus in Epist. ad Rom. Expl. n. 74.

cipem eidemque dicto audientes esse tenentur. De huiusmodi officio ad aram, e suggestu, in Poenitentiae tribunali sermonem habetote, atque ostendite, aeque hoc divinum esse praeceptum ac cetera, et cuiusque dicti, cuiusque verbi erga Imperantes minus officiosi eos rationem reddituros. Gravissimum publica solvendi vectigalia debitum saepius ipsis commemorate; eos denique ad Deum assiduis precibus exorandum hortemini, ut piissimi nostri sapientissimique Principis, qui totus in eo est ut quietam et tranquillam vitam nobis comparet, curas et consilia prosperare velit. Ipsi vero in primis huiusce rei praebeatis exemplum, numquam in Missae Sacrificio aliisque publicis precationibus praecipuam ipsius mentionem facere praetermittentes, uti iam praescriptum a nobis fuit. Hoc si cuiusque Christiani hominis officium est, quo magis, carissimi Fratres ac Filii, ipsi nos eodem obstringimur, etiam grati animi ergo ob assidua quibus nos cumulat beneficia, dies noctesque ad nostram salutem et incolumitatem excubans, suas res communi utilitati devovens, nihil habens antiquius, quam eos contentos ac felices reddere, quibus contigit, ut eo moderatore ac duce uterentur. Nulla vero aptior hac mihi se offerre poterat huiusce adhortationis occasio, cum universa quae montes incolit multitudo publica et solemnia grati animi erga amantissimum Principem argumenta praebet, erogatisque in pauperes subsidiis ac precibus prospera cuncta ipsi et universae eius Regiae familiae a Deo vehementer implorat. Haec persoluta iure meritoque vota verae humilitatis et obedientiae studio permoti universi prosequamur, illud nullo non tempore memoria repetentes quod ad Timotheum scribens aiebat Apostolus; (epist I. cap. 2. v. 1. et 2.) *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.*

Idem ille Christus Iesus, qui humilitatis et obedientiae tot nobis exempla praebuit, suo omnes divino spiritu repleat.

Dat. ab Oppido S. Marcelli postrid. Non. Febr. 1784.

Scipio Pistoriensis et Pratensis Episcopus

Paulus Ciulli Cancell. Gener. Episc.

N. XXXVI.

N. XXXVI.

Datae ab Episcopo litterae cum propria Dioeceseos Officia ad Parochos misit.

Scipio de Ricciis divina miseratione Episcopus Pistoriensis et Pratensis universo Clero Saeculari et Regulari suae Dioeceseos salutem in Christo sempiternam.

Nihil adversus Ecclesiae votum susceptum fuit, Venerabiles Fratres, cum superioribus annis Dioeceseos Breviarium repurgari desideravimus; nunc autem nonnulla reformata atque ad puriorem formam restituta vobis offerimus. Nihil enim homini religioso suavius, nihil sanctius quam *psallere sapienter* et adorare Deum *in spiritu et veritate*; omniaque paulatim ita ad primaevum ordinem redigere, ut nihil supersit quod maiestati divinae rite collaudandae devoteque exorandae non conveniat, nihil quod summae reverentiae quae debetur divino Officio non respondeat, nihil denique quod ad omnium aedificationem maxime idoneum non sit. Haec Concilia, haec complures viri pietate ac scientia praediti vehementer exoptarunt, haec Pontifices maximi fieri debere non dubitarunt, et sanctissime aggredi multoties conati sunt. Ast, Venerabiles Fratres, praeter doctissimorum hominum curam et diligentiam sinceriori adhuc atque exactiori reformatione Breviarium quo utimur indiget, ut audientium et legentium animis aedificandis simul ac instruendis prodesse valeat. En quidquid in Antiphonis, Hymnis, ac praesertim in Lectionibus non sine opera et consilio nonnullorum fratrum nostrorum in melius corrigere et commutare operae pretium in praesenti duximus. Cupientes sapere ad sobrietatem, quae suboscura erant vel incerta sive admixta falsis nova veritatis luce donare, quaeque superflua ac minus apta resecare curavimus. E purissimis fontibus hausimus quaecumque addenda iudicavimus colligentes gesta Sanctorum praecipua ad imitationem, et exhibentes Fidelium oculis ad excitandam fovendamque pietatem *quaecumque pudica*, *quaecumque iusta*, *quaecumque amabilia*, *si qua virtus*, *si qua laus disciplinae*. Excipiatis igitur velim bono animo, Venerabiles Fratres, sacrae

anti-

antiquitatis studiosi, veritatis amore incensi, saniorique doctrina imbuti huiusmodi specimen, ea diligentia elaboratum, ut pie et fructuose in memoriam inducat *opera Patrum quae fecerunt in generationibus suis*, nosque firmet adversus cupiditatum certamina exposita iustorum serie qui *per fidem vicerunt, et operati iustitiam adepti sunt repromissiones*. Confectum vero erit a vobis ac suffragio vestro firmatum, cum in proxima Synodo ad integram Breviarii et Missalis reformationem, hortante ipso religiosissimo Principe nostro, progrediemur. Interea omnibus et singulis nostrae Dioecesis tam Cleri Saecularis quam Regularis, qui ad horas Canonicas recitandas tenentur, mandamus, ut tam in choro quam extra hoc Lectionario nostra auctoritate edito utantur, ut sit una communis precatio, una mens, una spes in charitate et fide inculpata in Christum Iesum. Exultemus autem *in laudem gloriae gratiae Dei*, et aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum crescamus in virtute Sanctorum, ac suspiremus continue ad eorum felicitatem quorum una virtus in Caelo et tota est amare quod vident, et summa felicitas amare quod habent. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen.

Dat. Pistorii die prima Ianuarii An. Dom. 1786.

SCIPIO EPISCOPUS PISTORIENSIS ET PRATENSIS

Carolus Mengoni a Secretis.

N. XXXVII.

N. XXXVII.

Datae ab Episcopo litterae ad Foraneos Vicarios de Novendiali ante Iesu Christi Domini Natalis diem supplicatione.

Cum Ecclesiasticus anni cursus suum ab Adventu initium sumat, aequissimum profecto est Fideles suam matrem Ecclesiam pietatis normam ac ducem sequi. Omni igitur studio optimos alios tui Vicariatus Parochos horteris atque excites velim, ut hisce diebus qui Nativitatis Domini solemnia praecedunt commissos suae fidei populos ita animo affectos reddere studeant, ut ea digne sancteque valeant celebrare.

Idem salutis nostrae, quae a Redemptoris nativitate exordium in terris habet, mysterium illud est, ad quod recolendum parare nos studet Ecclesia. Actum omnino de nobis fuerat, atque eramus prorsus indigni qui reconciliaremur cum Deo, cuius iustitiae satis facere non poteramus. Aeternum Patris Verbum eidem plenissime satisfecit, cum nostram naturam suscipiens homo idemque Deus nobiscum commoraturus, passurus, et moriturus pro nobis advenit.

Haec autem cum Deo reconciliatio peculiariter in unoquoque nostrum perficitur, cum divinus noster Servator ac Dominus per suum spiritum nostris renascens in animis, ibi ipse se format atque in nobis manet. En quo pastoralis nostra sollicitudo nos vocat; nihil aliud laboribus nostris propositum esse debet, quam ut per nos in omnium fidelium mentibus Iesus Christus formetur.

Nihil mihi contingere iucundius poterit, quam si accipiam, Parochis omnibus Ecclesiae menti inhaerentibus, dum proximo Dominico die Christum Iesum veluti summum iudicem aliquando venturum populis in mentem revocant, curae esse, ut illorum animos ad eum tamquam Servatorem in eiusdem nativitatis mysterio recipiendum comparent. Nihil cogitari potest, quod nos a culpa deterrere facilius valeat, atque in dies magis nostri animi sordes eluere, quam extremi iudicii dies. Cum vero defixus atque haerens creatis rebus animus impedimento sit, quominus nostris in animis Iesus Christus inhabitet, opportune ergo

D. Ioan.

D. Ioannis suos ad Christum Iesum discipulos mittentis exemplo per Evangelium quod Dominica secunda legitur nos monet Ecclesia, ut ad ipsum humani generis Servatorem amorem nostrum nostraque studia convertamus, si eum cupimus in nobis tamquam vero sui divini Spiritus Templo manere. Nihil vero summa animi demissione ad nostras avellendas a rebus creatis mentes easque illi, qui nostrum omnium mediator ac perfugium est coniungendas accommodatius. Dum se nihil omnino esse ingenue et aperte Praecursor fatetur, quo potissimum tempore eum inter homines maximum Iesus Christus appellat, eximium nobis exemplum praebet, cuius imitatione ad Iesu Christi adventum rite parati esse possimus. Humilis ergo illius poenitentis imaginem in tertiae Dominicae Evangelio sancta nobis ob oculos ponens Ecclesia aptissime ostendit, Deo illi hominem debere esse omnino subiectum, a quo nostrum omne bonum nostraque salus unice profluit; atque ita in eo semper mente et cogitatione defixi atque in eum finem labori atque operi instantes, ut ipsi probemur gratique simus, eius gratiae auxilio veterem in nobis deleamus hominem, novo Adam nostros in animos aditum sedemque praebeamus. Id effici profecto nequit, quin labores plurimos et incommoda perferamus; adeo tamen necesse est, ut quo propius ad celebrandum Natalis Christi Domini mysterium accedimus, eo maiori studio id nobis in mentem revocare Ecclesia videatur. Nihil sane aliud quam poenitentiam sonant, quae in quarta Dominica repetuntur D. Iohannis verba. Ea etiam quae de Mariae in Civitatem Nazareth profectione in Nativitatis perviglio leguntur, eximiam Dei Matris homilitatem ac patientiam commendant.

Quo vero tempore laetissima huiusmodi res facta est, Messias nempe iam per quatuor annorum millia et amplius expectatus in lucem prodiit, is penitus latere voluit. Relicta ab omnibus Virgo, omnique humana ope carens Deum parit et hominem, ut spem in eo firmiter locandam esse nos doceat, a quo omne datum optimum omne donum perfectum descendit, a quo vitam obtinere unice possumus, modo nostris in animis dignetur nasci.

His aliisque considerandis serio atque attente rebus per adiutores meos Populum hisce diebus detineri vehementer opto. Quasdam in nonnullis Ecclesiis haberi Novendiales supplicationes consueverant, quibus se ad hoc celebrandum my-

mysterium Fideles compararent. At si diurno labore sibi victum comparandi necessitas, in qua agricolae plerumque versantur, ad sacram huiusmodi rem nocturno tempore peragendam adigebat Parochos, malorum etiam, quae inde existebant, discrimen eo saepius meos decessores impulit, ut vel ipsis postulantibus Parochis eam omnino prohiberent.

Omni quidem incommodo vitioque caret proposita superius ratio, eiusque ope Fideles, quae hoc Adventus tempore vera sit Ecclesiae mens, facilius assequentur.

Velim ergo, ut singulis festis diebus vi praecepti servandis a prima Adventus Dominica ad Nativitatem Parochi saepius fusiusque de mysterio nobis ab Ecclesia proposito sermonem habeant ad populum; qua re illud fore confido, ut in omnium fidelium animos sua munera largius effundat Deus O. M. atque ut divinum Verbum uberrimos in ipsis fructus edat, ac rite sancteque primo atque humili Filii Dei Adventu celebrato digni sint, qui eius gloriae participes fiant, ubi suam omnem virtutem et maiestatem praeferens universum Orbem iudicaturus adveniet.

Hortari etiam populos opportune poterunt Parochi, ut sanctissimo Missae Sacrificio saepius intersint, iis saltem diebus, quibus domesticis rebus consulendi necessitas nullo ipsis impedimento erit; tunc enim eo quo flagrant erga ipsos amore ac studio, sublimissimi huius mysterii meditatione tantisper eos detinendi occasionem solerter arripient.

Haec autem animi mei sensa universis tui Vicariatus Parochis significes precor; mihique gratum te facturum existimes, si eadem te habere penitus persuasa tuomet exemplo demonstraveris. Hac spe fretus tui me profiteri posse gaudeo

Pistorii VI. Kal. Decembr. 1785.

Servum Fratremque Amantissimum,
SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

N. XXXVIII.

Datae ab Episcopo litterae ad Generalem Vicarium de Rogationum Supplicatione.

Curae tibi erit, Illustriss. Domine, octo istius Urbis Parochis significare, ut mane festo S. Marci die, ubi in unaquaque Ecclesia Rogationum Missam celebraverint, una cum Saeculari Regularique suae Paroeciae Clero et cum suo quisque Charitatis Sodalitio ad principem Urbis Ecclesiam se conferant. Hinc eo ordine procedere incipient, qui iam pro solemni Corporis Christi supplicatione praescriptus est, Litanias interim decantantes; confectoque brevi per Urbem circuitu ad eamdem revertentur Ecclesiam, praescriptas ibi preces persoluturi.

Minorum autem Rogationum diebus una tantum Cathedralis Ecclesia brevi per Urbem circuitu supplicationem habebit; in aliis vero omnibus Parochialibus Ecclesiis dato antea signo Rogationum Missa celebrabitur, qua peracta dicentur cum consuetis precibus litaniae, quin tamen e templo discedatur.

Te interim plurimi a me aestimari velim pro certo habeas, tuique revera me esse,

Illustrissime Domine,

Prati XI. Kal. Mai. 1786.

Addictissimum Servum,
SCIPIONEM PISTORIENS. ET PRAT. EPISC.

Ad Canonicum Praepositum Bracciolinium)
Generalem Vicarium)

N. XXXIX.

N. XXXIX.

Epistola ad omnes Dioecesis Parochos data, cum ad eos misit librum, qui inscribitur: Riflessioni morali sul Nuovo Testamento.

Apophoreta illa, quae in rebus laetis ac prosperis sibi mutuo veteres mittere consueverant, distribuenda merito Dioecesis Parochis erant, quo tempore in Sancta Synodo una cum Episcopo congregati tanta studiorum sententiarumque consensione de huiusce Ecclesiae bono deliberarunt, ut optimo id bonis exemplo, maximo adversariis rubori fuerit. Digna ipsis Apophoreta forent necesse erat. Nihil igitur deligere me posse existimavi aureo illo libro praestantius, cui titulus: *Riflessioni morali sul nuovo Testamento*, quemque vel ipsi probandum recipiendumque putarunt, ut una cum altero, quem in veteris Testamenti libros Mesanguyus conscripsit, omnibus absolutam numeris piarum in universam Scripturam animadversionum seriem efficeret. Gloriosum atque insigne, quod religiosus noster Princeps veritati perhibuit testimonium, primo cum eum librum in articulis illis proposuit, quos nobis expendendos tradidit, deinde cum permisit, ut eximia nostri Fratris et Collegae Opera studioque e gallico in etruscum sermonem fidelissime conversus Regium praeferret in fronte nomen, alterum erit ac certissimum argumentum, quantam ex nostrae Synodi Actis vere dignam homine Christiano consolationem laetitiamque augustus Princeps perceperit.

Te interim etiam atque etiam oro, ut dum ad singulos tui Vicariatus Parochos eiusdem exemplum mittis, una cum ceteris Paroeciae libris asservandum, eos quoque vehementer horteris, ut quoties ad eum legendum ac meditandum accesserint, tum Principis a quo fuit benigne propositus, tum Episcopi, qui eum ipsis comparare studuit, reminiscantur.

Tui me reverenter esse profiteor.

Pistorii prid. Non. Octob. 1786.

Servum Fratremque Amantissimum,
SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

N. XL.

Pastoralis epistola, cum Episcopus ad suae Dioecesis Parochos Veteris Testamenti historiae morumque doctrinae Epitomen a Mesanguyo elaboratum misit.

Scipio de Ricciis divina miseratione Pistoriensis et Pratensis Episcopus carissimis sibi Parochis curae pastoralis spiritum.

Religiosa Magni Ducis nostri cura iucundissimam mihi praebet occasionem optimum universis Dioeceseos Ecclesiis librum comparandi. Hic liber veteris Testamenti historiae morumque doctrinae Epitome est, optimis auctus animadversionibus piissimi doctissimique Mesanguyi opera ac studio, cuius gratissima bonis omnibus est semperque erit recordatio. Priora decem huiusce operis volumina in patrium sermonem versa ad vos interim, carissimi Fratres, mitto, reliqua etiam missurus, ubi primum edita typis fuerint. Qui sane liber aeque ac Dioeceseos cathechismus cuiuslibet Paroeciae proprius habendus est, et parvae illius Bibliothecae pars erit quam Parochis omnibus praesertim ruralibus mihi in animo est comparare.

In pastorali illa, quam Catechismum ad vos mittens de studio Religionis conscripsi epistolam, ea de hoc libro dixi, quae mihi meus erga hanc Ecclesiam amor suadebat. Quam vehementer optarem, ut huiusmodi liber simulque Ecclesiastica Racinii historia quotidie a Christianis familiis perlegeretur, ostendi. Quae quidem mea vota hic tantum iterasse sufficiat, quin rursus divinos libros legendi explicandique populo utilitatem necessitatemque, carissimi Fratres, exponam. Illud habeo satis dicere omnia illa per me vobis hoc pacto adiumenta suppetere, quibus id perficere facilius valeatis.

Qua vero voluptate quoque solatio accipiam, certis quibusdam diebus, sacris aliis confectis rebus, piissima huiusce libri lectione aliquandiu per Parochos populum detineri! Nequaquam illud accidet, ut qui audiunt agrestes praesertim homines satientur fastidio similitudinis, uti solet interdum contingere, cum vel optima praecepta audiunt saepius atque

iisdem

iisdem fere verbis dictionibusque repetita. Quae in ea narrantur historiae eiusmodi sunt, ut omnium attentionem sibi valeant conciliare. Interpretationes vero, animadversionesque cuique capiti subiectae magno adiumento erunt, ne qui terrena sapiunt, sistant in cortice, sed ardentissimae fidei lumine adiuti res penitus introspiciant, et thesauros agnoscant, quos divinus spiritus sub literae umbra ac velamine addidit. Pueri enim rudioresque homines longis magnoque studio excogitatis animadversionibus mentem obruere non valent. Quis vero eorum cupido libentique animo venditum Iosephum, vexatum aerumnis Tobiam, demissum animo Davidem non audiat? Puer igitur domum reversus Matri referet modo Estheris honorem ac decus, modo vim ac robur Samsonis, modo praeclara Machabaeorum facta et triumphos; atque ita Christiana quaevis familia nugarum futiliumque sermonum loco pie sancteque versabitur in eximiis patientissimi Iobi exemplis meditandis, ut inter huiusce vitae calamitates solatium inveniat, ita se sapientissimo consilio Deum gerere animadvertens, ut vel probos iustosque homines affligat in Terris quo imagines Filii sui illos conformes efficiat atque ad aeternam assequendam vitam paratissimos. Quis Iudith solitariam ac tam duriter et parce habitam vitam non suspexerit, qua tum viduas docet, quomodo sui status integritatem ac decus servare possint, tum dignam se praebuit, quae ad suam gentem ex Holophernis potestate liberandam deligeretur? Ruth vero Moabitidis historia exemplo erit nuribus, quomodo gerere se erga socrus debeant; atque ut ex praeclaris illius factis utilitatem percipiant, de ea mutuo inter se colloquendi erit iisdem occasio; utraeque vero dum eorum narrationem audient, a lacrymis se non poterunt temperare. Ita descriptis bene historiis, animadversionibusque auctis et exornatis illud mixtum dulci utile inest, quod maiorem documentis vim addit.

Cum praeterea Parochos adeant plerumque pueri, ut litteras discant, postquam in pervolvendo Royaumontii historiae Epitome eos aliquandiu exercuerint, vix dici potest, quam opportunum et quammagno spirituali bono iisdem erit pervolutum attente ac bene perceptum aliquod Mesanguyi caput? Nunquam huiusce rei cura nimia erit. Ut igitur hic diu noctuque versetur ab omnibus liber, etiam atque etiam rogo, magnaque mihi in Parochorum charitate eximioque studio posita est spes fore, ut omnem Fidelium progressus in Religio-

nis studio augendi fovendique occasionem arripiant.

Eo unice spectant quaecumque Religiosi Principis nostri consiliis inhaerentes decernimns ac providemus. Oro iterum vos, carissimi Fratres, eruditam Archiepiscopi Salisburgensis legite pastoralem epistolam, quam Magnus Idem Etruriae dux Italice redditam universis subditis sibi gentibus comparare dignatus est, et quam ad unumquemque vestrum nos grato libentique animo misimus. Illud meminisse debetis, tunc vos meis precibus consiliisque permotos vestri esse officii existimasse mihi vestrae Paroeciae atque etiam Dioecesis bona iuxta ac mala referre, et idonea simul mihi significasse remedia. Scripta illa adhuc apud me sunt, quae quid quisque vestrum sentiret, luculenter ostendunt. Haec si typis mandata ad vestram laudem in vulgus ederem non dubito eosdem illos, qui me nimiae in quibusdam capessendis rebus celeritatis insimulant, ex prudenti tot Parochorum studio facile intellecturos, quam pauca gesserimus, quam procul a proposito distemus, quam tarde suscepta tot abusionum emendatio et Ecclesiasticae disciplinae restitutio procedat. Quod superest, oro vos, ut eorum omnium, quae a nobis ineuntur, consiliorum rationem populo explicetis. Docili is animo est, sed edoceri cupit, et quam iustis de causis quaedam immutata fuerint atque praescripta, penitus intelligere. Vestram excutient atque excitabunt animadversionem intelligentiamque. Pastorales Archiepiscopi Salisburgensis litterae et plurimi qui ad Ecclesiae bonum eduntur quotidie libri. Id maximo mihi solatio est quod in Paroeciis fere omnibus institutum iam fuerit Charitatis Sodalitium eiusque operâ multa iam optimi exempli facta numerantur. Universus ad suam convenit Paroeciam populus, et una atque eadem sacras res peragendi adhibetur ubique ratio. Haec duo tantum animadvertatis velim. Amota iam est immodica a sacris rebus omnino pompa, sed vereor, ne alio nomine ea rursus irrepat, cum praesertim post Cathechismum coram SS. Eucaristiae Sacramento supplicatur. Tot ergo cereae faces ad Aram ardeant, ubi per Sacramentum pyxide inclusum post meridiem populo benedicitur, quot ardere solent, ubi mane diebus festis Parochialis Missa celebratur. Nec pauciores quatuor sint nec plures quam sex. In pauperum subsidium reservetur quod in maiorem luminum apparatum impenderetur. Alterum vero quod ut vobis maxime curae sit, vehementer postulo, illud est, ut maiora pauperibus com-

comparare subsidia studeatis. Haud me latet complures esse familias, quae nonnullis Legatis satisfaciendi causa aliquam pecuniae summam vel ad sarta tecta servanda altaria, vel ad certa quaedam celebranda festa quotannis impendere consueverant. Per novas Constitutiones ab huiusmodi sumptibus liberantur. Igitur si iisdem suadebitis, ut illas pecuniae summas in pauperum capsula deinceps reponant, rem perficietis vestro studio vestroque in gregem vobis praecipue commissum amore dignissimam. Plura non addam; ipsi enim satis superque studebitis illa praevertere quae pro populorum bono dicere vobis possem. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, amen*. D. Paulus Ep. ad Philem.

Dat. Pistorii XI. Kal. Martias 1785.

SCIPIO PISTORIENSIS ET PRAT. EPISC.

N. XLI.

Datae a Reg. Secretar. litterae, quibus Charitatis Sodalitii Constitutiones adprobantur.

Propositas a te, Illustriss. ac Reverendiss. Praesul, et ad eum, qui a secretis Regii iuris est Nonis huiusce Mensis missas Sodalitii Charitatis Constitutiones plenissime REGIA CELSITUDO probat. Eas igitur vulgare atque exequi tibi liberum esto. Quod dum tibi significo, tui me observantiae plenum profiteor esse,

Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae XII. Kal. Septemb. 1784.

Obsequentiss Addictiss. Servum,
Riguccius Galluzzi

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XLII.

Aliae litterae, quibus Sodalitii Charitatis Constitutiones probantur.

REGIA CELSITUDO probare plenissime dignata est Charitatis Sodalitii in singulis Paroeciis instituendi Constitutiones, uti fuerunt a te eidem propositae. Authenticum ergo earumdem exemplum ad Regios istius Urbis et Prati Vicarios mitto, mandans iisdem ut re tecum communicata curent statim perficiendas. Haec tibi Magni Ducis consilia atque imperata significans me per quam demisse ac reverenter esse profiteor

Tui, Illustriss. ac Reverendiss. Praesul,

Florentiae prid. Kal. Septembr. 1784.

Addictiss. Obsequentissimumq. Servum,
Vincentius Martini

Ad Pistoriensem et Pratensem)
Episcopum)

N. XLIII.

N. XLIII.

Pastorales Episcopi litterae in edendis Sodalitii Charitatis Constitutionibus.

Scipio de Ricciis Dei Misericordia Pistoriensis, ac Pratensis Episcopus dilectissimo Gregi suo Christianae spiritum charitatis.

Ex quo Deus Optimus Max. pro ingenti sua misericordia verum postremis hisce temporibus excitavit in Principum animis Religionis studium, quo illi incensi tot ad Ecclesiae bonum pravis consuetudinibus reformandis sedulo adlaborant, antiquus ille humani generis hostis ad pacem concordiamque tollendam omnia per amicos suos Babylonis cives vertere nunquam destitit. Quibus olim artibus illi Pseudo-Christi Praecursores prohibere sunt ausi, ut ne quid illa, quae postrema omnium habita est, generalis Synodus, afferret Christianae Reipublicae boni, iisdem nunc, optima quaeque, et pientissime, ac sapientissime provisa irrita prorsus, atque inutilia efficere conantur. Exemplo vobis ea sunt, Dilectissimi in Christo Filii, quae pius noster amantissimusque Princeps utiliter statuit, quibusque Pistoriensem, ac Pratensem Dioeceses singulariter exornavit. Divinus namque cultus, qui inanibus iam, et superstitione plenis ritibus vitiari coeperat, ad pristinam illam, qua recens institutus maxime floruit, simplicitatem revocatus; templorum omnis splendor in ministrorum potius sanctitate, et fidelium pietate, intentisque ad sacra, quae ibi peraguntur, eorum animis positus, quam in pretiosis ornatibus collocatus; revocati ad puras hauriendas traditae in Evangelio doctrinae aquas a veris ac legitimis Pastoribus populi; Pastores ipsi, ut se non servorum, aut mercenariorum more, sed nobilibus vacuisque lucri cupiditate animis, ut veros Patres familias, ac Caelestis verbi dispensatores se gererent iis subiecti, qui in Apostolorum munere divinitus successerunt, excitati, atque admoniti; haec, inquam, a Principe nostro sunt praestita, atque haec illa sunt, quorum odio antiquus ille humani generis hostis incensus fremit. Hae novae res sunt, quibus fucata pietatis, ac religionis specie obstrepunt ii, quorum

est animus ab omni pravas consuetudines reformandi ratione prorsus abhorret. Ea tamen omnia, quae vos iam nunc, dilectissimi in Christo Filii, et praeclare provisa, et sancte, ac religiose instituta cernitis, a vero quidem, ut vos intelligere satis arbitror, Christianae charitatis studio profecta sunt. Deus charitas est. Qui non manet in charitate., in regno eius non manet, sed inter Babylonis Cives versatur. Nemini ergo vestrum mirari liceat, si profanae Civitatis incolae, perditionis filii, quidquid ad charitatem mortales revocat, abhorrent, et labefactare atque evertere conantur.

Deo igitur maximae a nobis habendae sunt gratiae, qui disiectis repente ac dissipatis ignorantiae atque errorum tenebris ad veram sequendam colendamque virtutem per suam ipse charitatem nos revocat, ac perducit.

Nequaquam vos latet, Dilectissimi, illud, quo Deum, alterumque, quo proximos amare iubemur, praeceptum, in quibus tota continetur, ac pendet Lex, non duo quidem, sed unum revera esse mandatum. Non enim vere, quis Deum diligit, nisi eius mandata servet. *In primis autem illud est* quod proximos nos iubet diligere: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum*. (I. Ioan. IV. III.) Rursusque proximos nemo eo, quo par est, amore prosequitur, nisi qui summum illis precatur bonum, quod est Deum diligere, eoque frui.

Quanam vero alia in re Dei amor vertitur, nisi in hoc, quod cupimus, ceteri eum omnes agnoscere, diligere atque adorare, eique veluti servos famulari? Nullus enim Dei amor est, ubi nullus proximorum est amor. Nullus vero proximi amor est, ubi Dei nullus amor est. Proximorum namque amor in Dei amore continetur, qui illius principium, exemplar, ac finis est; in proximorum vero amore Dei quoque amor inest, a quo ille consequitur, cuius est quaedam veluti imago, certissimumque argumentum. Duplex istud mandatum, quod nobis, ut Deum ac proximos diligamus, praecipit, summa est omnium mandatorum, quaecumque vel divinitus, vel humanitus servare iussi sumus; hoc salutis verbum est; haec quasi compendiaria, et proxima ad salutem via. Haec rudibus quoque, et imperitis hominibus accommodata Biblia sunt; hic denique liber est, quem iidem illi, qui inter ceteros doctrina, ac sapientia praestant,

dum

dum mortalem degunt vitam in terris, numquam satis cognitum ac perspectum habere possunt. Nibil enim in Dei lege aliud continetur, nihil in Sacris litteris iubetur aliud quam charitas. Ex eo, quod quidam olim legis Doctor, post datum a Christo responsum Matth. XXII. 3. VII. Marc. VII. n. 8. dicere non dubitavit, charitatem unam holocaustis ac sacrificiis omnibus longe praestare, intellexisse eum aperte patet, omnem illum, quem Iudaei in Deum conferebant, externum cultum, nequaquam sufficere ad acceptam ab eodem Deo legem implendam. Quod enim Deo debemus, amor est. Quae olim sacrificia, atque holocausta offerre debebat Hebraeus populus, ab hoc amore proficiscebantur, et erant quaedam veluti signa, quibus declarabant, sese Deum, ut par est, omnibus terrae bonis anteponere; quae quidem bona per diversas, quas illi offerebant, hostias mirifice exprimebantur; sed una quidem erat charitas, qua praediti possent Deo placere.

Hoc in uno mandato, quodam veluti centro, ubi consistat, ac fonte, ex quo omnis effluat Christiana pietas, totam D. Paulus, quantumvis late pateat, positam esse legem docet. *Plenitudo legis dilectio*, ait ad Rom. XIII. 10. Nec vero tantum charitatem totius finem ac plenitudinem legis esse ostendit, sed praeterea hanc unam esse, ad quam suum veluti ad fontem ceterae omnes christianae virtutes referantur. Lucri namque contemptus, humilitas, patientia, lenitas, atque humanitas, constantia; ceterae denique omnes, quas in Evangelio sequi iubemur, virtutes nil aliud re ipsa sunt, nisi diversa charitatis opera, diversique eius generalis virtutis motus. At cum variis peculiarium virtutum officiis, in eum unice finem, ut Deo placeant, charitas sese applicet, variis idcirco patientiae, lenitatis, fortitudinis, temperantiae, ceterisque aliarum virtutum nominibus appellatur. *Charitas patiens est*, *benigna est* etc. (D. Paulus I. ad Corintios 13.)

Hanc D. Pauli doctrinam veluti regulam secutus Augustinus nullam prorsus, charitate sublata, virtutem esse ostendit, aut singularum, ut rectius dicam, virtutum officia in eo unice verti, ut Deum maxime diligentes, ac caeteris omnibus posthabitis eum unum summum videlicet bonum inquiramus, nihilque tanti habeamus, quam assidue eiusdem honori gloriaeque inservire. *Quamquam*

et in

et in hac vita virtus non est, nisi diligere, quod diligendum est. Id eligere prudentia est. Nullis inde averti molestiis, fortitudo est. Nullis illecebris, temperantia est; nullâ superbiâ iustitia est. Quid autem eligamus, quod praecipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel praeponimus, vel aequamus, nos ipsos diligere nescimus (S. August. Epist. 52.) Nihil enim aliud prudentia est, nisi vigilans quaedam, ac solers charitas, quae quid cuique faciendum, ut Deo quem diligit placere mereatur, quidque fugiendum sit, ne forte in Dei offensam incidat, recto adhibito iudicio, pervidet, ac dignoscit. Quid vero est aliud iustitia, quam idem ille Dei amor, quo nos aeternae inhaerentes iustitiae legibus omnipotenti Deo cum ceteris omnibus subiicimur? Temperantia vero in hoc pariter amore posita est, qui sese totum atque ab omni prorsus labe integrum Deo servat, additque animo vires, ut voluptatum obsistat illecebris, quibus verendum esset maxime, ne eius sanctitas atque integritas vitiaretur. Ipsa demum fortitudo nihil est aliud, nisi eadem illa charitas, qua erigimur, ac confirmamur ad perferendam fortiter malorum vim, quae nos hoc praesidio carentes a summo illo, cui perpetuum cupimus adhaerere, bono facile abalienare, atque avertere possent. Ideoque virtutes illae, quas falso ethnicis inesse putarunt quamplurimi, cum charitate prorsus vacent, peccatorum potius nomen habent quam virtutum; nec profecto nos, ubi idem ille Gentium Doctor ait Lib. I. de Doctr. Christ. cap. XXII., vere nos metipsos diligimus, ad eumque summum veluti bonum ducimur, a quo ea omnia, quae nobis insunt bona, quaeque ipsi tam valde amamus, profecta sunt; amor enim, quo nosmetipsos, proximosque prosequimur, ad ipsius Dei amorem individuum veluti punctum, quod omnes potissimum hominis cogitationes, ac studia spectare debeant, est nobis unice referendus.

Cum omnis sit igitur in charitate potissimum Christianorum sita iustitia, iure quidem meritoque hoc erit nomine appellanda eorum Fidelium societas, qui istius virtutis studio incensi, atque inflammati, ut sese in diversis eiusdem officiis exerceant, sancto sub legitimis Pastoribus foedere consociari volent.

Atque ut id quaerere supersedeam, qua de causa potissimum veteres illi Congregationum, Sodalitiorumque Instituto-

tutores eorum praeter modum numerum auxerint, in eo sane Dei simul in nos providentiam, ac misericordiam debemus agnoscere, quod pientissimo Principi eam mentem dedit, ut ea funditus tolleret, ac deleret. Quivis enim prudens modo, nullaque animi perturbatione impeditus iudex facile consentiet, quam ea nullam non modo utilitatem, sed magnam quoque sine utilitate impensam afferrent, ne vel detrimento ea fuisse dicam, fovendisque etiam familiarum dissensionibus atque discordiis inservisse. Quin vero gravissima illa vobis commemorem, quae saepe sub falsa pietatis specie in sacris hisce conventiculis excitata in totam deinde Christianam Remp. fluxerunt incommoda, maximamque Religioni perniciem attulerunt, id tantum meminisse vos oportet, alias quoque cum, cuius in manu est Reipublicae gubernaculum, eiusdem bono ac tranquillitati consulendi studio ad haec tollenda convertisse animum Collegia; sed quae tunc latae fuerunt leges, ceteraque vel sapienter instituta, seu temporum id pravitate, sive ex eo potius, quod nonnullae, quae Christianorum societati magno quidem usui futurae erant, constitutiones desiderarentur, quarum defectui aliquo modo occurrendi nemini adhuc cura fuerat, sive ex utraque simul causa acciderit, nullam prorsus vim habuisse.

Gravissimis autem muneribus populos edocendi, sacris mysteriis debitum honorem cultumque tribuendi Christianae adversus viventes charitatis, religiosaeque in defunctos pietatis officia exercendi; quibus muneribus aliqua ex parte nonnullae earum, quae sublatae sunt, societatum multis olim variisque modis diversis in regionibus fungebantur; meliori quidem, sanctaeque illi, quam profitemur, religionis magis convenienti ratione per ea, quae nuper provisa sunt, perque illud potissimum, quod sapientissimo institutum consilio *Charitatis Sodalitium* vulgo dicitur, consultum est.

Ab hoc vero excludendus est prorsus nemo. Non enim varia personarum genera atque habitus, non regionum longinquitas, non difficultas sermonum, non ipsa demum graduum, morumque distantia, legitimam, ut quis ab hac, quae non minus, quam universus terrarum orbis patet, societate arceatur, afferre causam poterit.

Ex Iudaeis olim quamplurimi eos tantum proximi nomine intelligendos esse existimabant, qui suae nationis forent eamdemque colerent religionem; ceteros namque po-

pulos

pulos exteras gentes esse, nullaque sibi societate coniunctas arbitrabantur; sed post novam constitutam a Christo legem, datumque simul Doctori, qui cum audisset illius infelicis hominis parabolam, quem semianimum latrones reliquerant, Samaritani charitatem magnopere commendavit, ab eodem Christo responsum: *Et tu fac similiter*; hoc proximi nomen universos homines complectitur. Unum namque omnes agnoscimus Creatorem, unam eamque maximam, cuius ipse Pater Deus est, familiam constituimus. Omnis praeterea in nostris impressam animis ipsius Dei imaginem ac quoddam veluti signum gerimus, quod cum ab aeterna, summaque sit ratione profectum illiusque participes nos effecerit, eam inter nos constituit societatem, quam sane tollere ac disrumpere nefas sit. Una eademque omnes felicitas manet; unus idemque nos redemit, ac suum pro nobis omnibus sanguinem Christus effudit; at sicuti neminem unum, dum in terris vivit ab eorum, qui per Christum redempti sunt, numero exceptum habere possumus, sic quoque nemini denegare nostrum amorem nobis licet. Cum tamen homines multis obstringantur inter se vinculis, nullo quidem sanctius aut firmius coniunguntur, quam una eademque Christi religione; ergo cum ad huius regulam ordinata sit ipsa charitas, tum nemo neget maiores, minoresve esse pro tempore, locorumque ratione societatis hominum gradus, quibus ut quisque propius nos attingit, ita in eum beneficiorum plurimum conferamus oportet; quod tamen ita accipiendum est, ut charitas nullo umquam intermissa tempore universos homines complecti intelligatur. In hunc unice finem Charitatis instituitur a nobis sodalitium, quod in universa quidem Dioecesi, ac late sumpta una tantum haberi poterit, etsi in diversis eiusdem Dioeceseos partibus propriis quibusdam, ac praecipuis distinguatur muneribus, a singulis Paroeciarum Pastoribus decernendis iuxta ea, quae a PRINCIPE NOSTRO §. XXXI. edicti de Pistoriensibus, ac Pratensibus Paroeciis XII. Kal. Aug. 1783. et num. XX. alterius, quod XI. Kal. Aug. eiusdem anni datum est, servanda praecipiuntur. Cum igitur de hac re certum firmumque aliquid statuere velimus, iis etiam, quae per nonnullos sui muneris explendi studiosos Parochos edocti fuimus, opportune utentes, ea, quae sequuntur, mandamus atque praecipimus.

CON-

CONSTITUTIONES IN CHARITATIS SODALITIO SERVANDAE.

Fidelium sancto foedere iunctorum, ut sese mutuo ad opera Christianae pietatis excitent, conventus nullo non tempore Dei Ecclesia plurimum commendavit. Militares quaedam, quae vulgo *Gildonie*, aut *Gildie* dicuntur Societates, quaeque post eversum barbarorum incursione imperium in eum praecipue finem institutae fuerant, ut tuendae urbi praesto essent, piis incensisque Charitatis studio Fidelibus ut in unum idemque corpus ad ineundum adversus communem hostem certamen convenirent, maximo fuisse incitamento videri possunt. Ac sicuti ipsis quoque ethnicorum populis suae omnibus societates, aut collegia erant, in quibus sacra peracturi conveniebant, ita a IX. usque Ecclesiae saeculo quaedam Sodalitia passim occurrunt ob id praecipue condita, ut in sublevando ex Divini ipsius Magistri, et Capitis nostri mandato piis, ac benignis operibus proximo versarentur.

Sed cum nihil sit ab hominibus tam pie sancteque institutum, in quod aliquid vitii aliquando non irrepat, quo perturbatum ab illo, quem unice spectare deberet, scopo deflectat prorsus atque aberret; ideo necesse fuit veteres omnes societates, ac sodalitia tollere, eosque, qui singulis in Paroeciis instituuntur, coniunctorum uno charitatis studio Fidelium conventus reformare nonnullis statutis regulis, quibus instructi, seseque omnes unum veluti corpus habentes ad exercenda Christianae pietatis opera ea, qua decet, mente studioque accedant.

Sacer autem iste conventus ab ipsa Charitate nomen sumet; cum enim ceterarum omnium virtutum una sit fundamentum charitas, ab eaque omnes sua veluti radice proficiscantur, per eam denique nostra a reliquis distinguatur religio, ea sane, quae exercenda praescribimus, pietatis officia, eadem suadente potissimum, et duce virtute, perfici debent.

Cum vero charitatem, aut Dei amorem nulla prorsus ratione integrum servare possimus, nisi per bona opera quae quidem omnia ab ea profluunt, per eamque potissimum perficiuntur, singulis idcirco fratribus, ut in libro vitae, quam nemini nisi per Charitatem assequi li-

licet, adscribi mereantur, hoc unice solvendum vectigal erit, ut sese eo, quo veros Christi fideles omnia agere par est, Christianae pietatis studio, atque ad normam eorum, quae sequentibus regulis praescribuntur, in iisdem illis operibus exerceant.

CAPUT I.

De sodalitii Praeside ac Moderatore.

Hoc vero sodalitium, quo ad universam Dioecesim attinet, uni suberit Episcopo, eumque principem, et caput agnoscet; in singulis autem Paroeciis singuli Pastores eidem praeerunt; ad eos pertinebit universa charitatis officia praescribere, suisque Parochis, aut honestis aliis, ac bonis viris in consilium adhibitis decernere, quod cuique munus explendum erit, sic tamen moderate, ut res cuiusque postulare videbitur.

Ea vero officia tabellae inscripta proponantur, quam singulis annis renovari aliquando, foribusque Ecclesiae affigi mandamus. Ut vero Fratrum ad ea exequenda munera, quae cuique eorum imposita fuerint, magis magisque in dies incendantur animi, Parochis, aut Parochorum adiutoribus danda erit opera, ut et ipsi quoad fieri possit, invisendis praecipue iis, qui carceribus detinentur, ferendisque aegrotis ad publica Hospitia, quo eos semper comitabuntur, una cum iisdem Fratribus adlaborent.

Episcopi autem munus erit omni studio, ac diligentia eo praecipue incumbere, ut Christianae spiritus Charitatis in omnium animis insit, ac vigeat.

CAP. II.

De Fratrum delectu ac numero.

Quamvis autem a Christianae charitatis actibus exercendis nullus umquam prohibendus sit Fidelis, tamen ad ea omnia tollenda, quae perturbationis aliquid afferre valeant, cavendumque, ne desit, ubi necesse fuerit, qui ad eosdem operam suam conferat, Parochus una cum addictis suae Paroeciae Presbyteris, aut si eorum nulli sint, honestis saltem, ac bonis eiusdem Paroeciae viris consultis tot ad illud

So-

Sodalitium sorores, fratresque deliget, quot diversis eiusdem implendis muneribus sufficiant.

Eorum vero, ex quibus universum constabit Sodalitium, nullus erit certus statusque numerus, sed maior minorve praescribi debebit, prout cuiusque Paroeciae amplitudo postulare videbitur. Illud tamen ubique fere servari volumus, ne aut pauciores, quam quadraginta sint, aut plures, quam centum. Ut vero in Fratrum numerum eligi quis possit, illud necessario requiretur, ut quintum supra vigesimum viri, mulieres vero quadragesimum aetatis suae annum attigerint. Electuri autem illos Parochi non quem quisque gradum obtineat, quam facultatibus opibusque polleat, quo loco ortus sit, sed quam bene audiat, quam vera pietate praestet, quam bonis sit moribus, quamque dignis, ad quorum exemplum suos ceteri conformare studeant, unice spectabunt. Nec vero sorores, fratresque delecti illud efficient, ut ceteris ex populo in hac sanctorum operum societate minime partem habere liceat; quin potius eos omnes Parochi hortabuntur, ut sese in iis, quae Christianae sunt charitatis, ac praesertim comitandis Presbyteris sacrum Christi corpus ferentibus, aegrotis ad publica hospitia, defunctisque ad sepulchrum deferendis exerceant. Ut vero quis saepius, magisque in iis actibus atque in hoc veluti tirocinio versatus fuerit, sic dignior habebitur, qui fratrum in numerum referatur; quod tamen ad tollendam omnem perturbandi rerum ordinis occasionem, sciente ac probante semper Parocho, fieri debere intelligendum est. Ob eamdem hanc rem a fratrum numero excludentur alienae Paroeciae homines; ubi vero quis fratrum in regionem alienae Paroeciae subiectam ibidem habitaturus transiverit, in illa quidem Paroecia, ex qua egressus fuerit, omnibus absistet muneribus, in ea vero, in quam sese transtulerit, illius statim sodalitii, quod ibi erit, eum fratrem esse, atque haberi volumus.

CAPUT. III.

De SS. Sacramenti Custodibus.

Cum in instituendo praecipue sanctissimo Eucharistiae Sacramento immensus sese erga nos Dei amor ostenderit, illius sane cultui praecipua quadam pietatis ac studii significatione devovere nosmetipsos debemus. Quamobrem ex numero fratrum istius Sodalitii vigintiquatuor eligi mandamus, qui *Sacramenti custodes* appellabuntur, quorumque munus erit sacerdotibus, dum venerabile Christi Corpus aut portabunt aegrotis, aut per vias publice circumferent, comitandis praesto esse. Festis vero diebus Parocho, dum illud aut in Missa celebranda fidelibus ministrabit, aut sacra inclusum pixide colendum populis exponet, quod post recitatum vespertinum officium fiet, adesse debebunt.

CAPUT IV.

De iis, qui aegrotos invisent.

Quatuor autem Fratribus, totidemque Sororibus id praecipue munus destinetur, ut Paroeciae aegrotos sui quisque sexus invisant, iisdem operam suam daturi assideant, quid singuli eorum necesse habeant, et qua cuique ratione opitulari oporteat, exquirant, ac de una quaque re cum Parocho conferant.

Extremae vero Unctionis Sacramentum ministrante illis Parocho aliquis eorum Fratrum adesto, quasque Ritualis Liber praescribit, preces una cum eo recitato. Eodemque modo dum aegrotae mulieres ad publica hospitia ducendae, defunctarum vel cadavera ad ea, quae inhumatis adhuc mortuorum corporibus adservandis addicta sunt loca, perferenda tradentur, eas sorores, quibus ex officio incubuerit aegrotas mulieres invisere, utique adesse volumus ac mandamus.

Duas praeterea honestas bonasque feminas, aut viduas, aut matrimonio iunctas Parochus eligito, quae parientibus adsint, iisque necessariam opem afferant.

Cum vero quis ex Paroecia aliquo morbo affectus in hospi-

hoſpitiis verſabitur, fratres, ac ſorores, quibus id negotii demandatum fuerit, ad eum inviſendum feſtis praeſertim diebus ſe conferant, deque eorum calamitate ac morbo ſe praebeant valde ſollicitos.

Illud etiam utriſque faciendum praecipimus, ut aegrotorum propinquos conſolari ſtudeant, et rerum inopiam ſummumque moerorem ac luctum, in quo iis praeſertim temporibus verſari ſolent, aliquo pacto ſublevare.

CAPUT V.

De iis, qui carceribus detentos inviſent.

Quo ad id munus eligentur Fratres, quorum erit detentos carceribus homines conſolari, eiſdem auxilio et monitis adeſſe, ac domeſticis eorum neceſſitatibus occurrere.

Id praeterea ſibi maxime curae eſſe oſtendent, ut quam citiſſime vinculis ſolvantur, per ſupplices libellos una cum Parocho Principem humiliter exorantes, ut ſontibus ignoſcat, aut aliquid ſaltem de eorum poenae ſeveritate remittat, illis laboribus, nullis parcentes incommodis, ut voti compotes fiant.

CAPUT VI.

De iis, qui aegrotos ad noſocomia, mortuoſque ad ſepulchrum deferent.

Hi vero rure ſaltem duodecim, in urbe autem quatuor, viginti eſſe volumus. Quorum omne munus in eo praecipue verſabitur, ut aegrotos ad noſocomium, mortuoſque ad ſepulchretum deferant, prout iis horis, quibus id vel minimo rerum ſuarum incommodo facere poſſint, pulſatis Paroeciae campanis ſignum dabitur. Omnibus inſuper, quaecumque intra Paroeciae fines caſu accident, mortuiſque primo ad Eccleſiam deinde vero ad ſepulchretum deferendis praeſto eſſe debebunt.

N 2 CA-

CAPUT VII.

De curandis iis, qui in Paroecia mortui fuerint.

Defunctorum Paroeciae exequiis pro virili parte omnes adesse curabunt fratres; eorum vero, qui ad eos exportandos humandosve fuerint destinati, munus suum linquere, nisi gravi detineantur impedimento, nemini omnino liceat; imitandum est namque illis exemplar Tobiae, quem nec ipse quidem temporalium malorum metus ab hoc tam sancto mortuos sepeliendi instituto avertere, aut deterrere umquam potuit.

Singulis autem primis cuiusque mensis Dominicis diebus, omnes una simulque Fratres ceteris Fidelibus vespertinum Officium, ac Nocturnum pro Defunctis recitantibus, et Parocho Missam pro iisdem celebranti, quod postridie mane fiet, operam suam daturi adstabunt.

CAPUT VIII.

De Quaestoribus.

Cum ad proximorum non modo corpus, verum animas quoque nostra debeat pertinere charitas, duplex idcirco eleemosyna est, corporalis scilicet, ac spiritualis. quorum altera in edocendis, fraterno amore corrigendis, utroque exemplo excitandis ad virtutem proximis versatur altera autem in eo unice vertitur, ut iisdem ea suppedemus, quibus vita salusque corporis continetur. In iis vero Christianae charitatis operibus fratres, qui destinatum id sibi a Parocho munus acceperint, utraque se ratione volumus exercere.

Ad eos pertinebit pauperum necessitates, eorumque praecipue, qui cum maximis premantur angustiis pudore tamen retenti stipem emendicare nequaquam audent, Parochum docere.

Praeter eam vero, quae in sacris ponetur aedibus, singuli quoque eleemosynarii singulas habebunt capsulas, in quas collectas a sese eleemosynas condent, earumque capsularum claves asservabit Parochus.

Atque

Atque ut Parochis universa Christianae adversus Defunctos pietatis officia gratis erunt capescenda, sic quoque Quaestores a defunctorum propinquis, si tamen de iis agatur, qui locupletes sunt, nulla mercedis spe ducti petere debebunt, ut aliquid sibi erogent in capsulam Paroeciae immittendum.

Ex plurimorum vero, eorumque nobilium hominum exemplo, qui ut haberent, unde largius pauperibus erogarent, in iis quoque, quae manuum labore conficiunt, operam suam ponere non recusarunt, satis etiam postremis hisce temporibus patet, quam solertes homines efficiat charitas; ex quo illud sperare nobis licet, eos, quibus id demandatum fuerit, fratres omne studium omnemque diligentiam adhibituros, ut munus suum optime ac feliciter expleant.

CAPUT IX.

De eleemosynis distribuendis.

Collectas vero singulis in Paroeciis eleemosynas in eo praecipue collocari, atque insumi volumus, ut boni quam latissime disseminentur libri; ut iis, qui artem aliquam profitentur, nec habent, in quo se se exerceant, aliquod saltem opus comparetur; ut earum rerum, a quibus optima puerorum institutio pendet, egentibus copia fiat; ut aliquis ad separandas maribus feminas paretur lectus, ac peritae artis obstetrici, quae rure praesertim parientibus adsit, iisque gratis opem adferat, stipendium assignetur.

Parochus insuper una cum suis adiutoribus, et Quaestoribus, ceterisque honestis ac bonis viris, qui veras Fidelium Paroeciae necessitates probe norint, quod cuique ferendum subsidium sit, decernet, consultoque ac sciente semper Episcopo eleemosynas vel per alios una secum animarum curam gerentes pauperibus distribuet.

Singuli autem exhortandi erunt Fideles, ut cum ea, quae sibi ad honestum vitae cultum necessaria sunt, detraxerint, cetera, quae supersunt, in capsulam pauperum Paroeciae immittant; ita namque melior eleemosynarum dispensatio fiet, omnis fovendi inter pauperes otii tolletur

occasio, ac minus quoque erit periculi, ne ipsi suismet bonis operibus glorientur.

CAPUT X.

De iis, qui studiose curabunt, ut pueri ad Christianam institutionem accedant.

Quatuor id fratribus, totidemque sororibus munus dabitur, quibus invigilandum erit, ut pueri, ac puellae Christianae religionis officia edocendae ad suam quisque Ecclesiam statuto tempore diligenter sese conferant.

Illud etiam efficiendum curabunt, ut dum in Ecclesia manent, pueri a puellis segregati eam, quam par est, modestiam ac reverentiam loci, in quo sunt, prae se ferant; quod si dum aut veniunt, aut redeunt, non suos quisque propinquos comites, ac duces habeant, eosdem aut per se comitabuntur, aut alicui saltem honesto viro id negotii dabunt. Ad eos demum pertinebit, dum illa, quae singulis desinentibus annis tribuenda erunt praemia, pro suo semper munere adesse.

CAPUT XI.

De Pacificatoribus.

Ad componendas vero dissidentes familias, tollendasque propinquorum simultates, atque odia, universos denique Fideles firmissimo Christianae pacis vinculo consociandos quatuor spectatae probitatis, ac prudentiae viri deligentur, qui una cum Parocho omne studium, curamque suam eò potissimum conferant, ut represso, ac restincto omnis discordiae semine in omnium Fidelium animis, in suo veluti regno, charitas dominetur.

CAPUT XII.

De Aedituis.

Duo insuper Fratres erunt, qui ad id praecipue curam suam intendent, ut in Templis, ac sacra supellectile mundities semper, cultusque reniteat, cuius servandi studiosos maxi-

maxime se praestabunt, ut Ecclesiastica officia ea, qua par est, dignitate celebrentur.

Illud etiam, rure praesertim, iis fratribus cordi esse volumus, ut optima quidem illa viros a feminis segregandi consuetudo ubique servetur. Sacrarium praeterea, omnemque supellectilem invisent, ut ea, si opus sit, reficiatur. Ac duabus quoque sororibus id officii destinabit Parochus, ut sacra lintea, ceterasque vestes asservandas curent.

CAPUT XIII.

De aliis fratrum muneribus.

Quotiescumque autem publicae in Paroecia supplicationes fient, istius Sodalitii Fratres ceteris assiduitate, summaque in Deum reverentia, et cultu adeo antecellere curabunt, ut universis fidelibus exemplo sint.

Ubi vero quem Fratrum ad aliquod munus destinatum desiderari contigerit, tunc Parochi, aut Capellani esto, cuinam illius explendi vices sint, decernere; singuli autem Fratres operae pretium aestimabunt impositum sibi munus exequi, illud considerantes, veram charitatem non uno aliquo vel praecipuo humanitatis ac religionis officio contineri, sed ad omnia prorsus illa officia extendi oportere.

CAPUT XIV.

De Sodalitii insignibus, et veste a fratribus gestanda.

Hoc vero Sodalitium nullo quidem alio utetur insigni, quam quo Paroecia, idque sequentes eo, quo Parochus, aut Parochi adiutor, aut si uterque eorum desideretur, quo fratrum senior iusserit, ordine bini fratres procedant.

Dum vero iis fungentur muneribus, quae Capite III. VI. et VII. praescribuntur, longam atque unicolorem vestem, cui personae species nulla sit, tamen a singulis Parochis non fratribus tantum, sed ceteris quoque ex populo in iis charitatis officiis sese exercere cupientibus praebendam gestabunt.

CAPUT XV.

De Sodalitii famulo.

Unum Parochus Fratrem deligito, qui sodalitio simul temploque inserviat. Illius autem munus erit non modo ad templum ab omni labe integrum servandum diligenter incumbere, sed quotiescumque ad exercendos Christianae charitatis actus, aegrotosque, aut carceribus detentos homines invisendos convenire opus fuerit, singulis quoque fratribus signum dare, iisdemque dum ad Nosocomia aegrotos, mortuosque ad sepulchretum deferent, semper adesse.

Iidem illi feretrum, longas vestes, ac ceteram Sodalitio necessariam supellectilem custodiendam, argenteumque signum, cui sit, *Paroeciae N. N. Charitatis Sodalitium*, inscriptum, in pallio, vel in veste gestandum tradi volumus.

Cum vero humilitas, elegantia, comitas eae sint virtutes, per quas potissimum, quam vere quis proximos diligat, apparere debet, iis idcirco virtutibus excellere maxime eum fratrem oportet, qui Sodalitii famuli nomine fuerit insignitus. Qui sane famulus ingentem quidem a Domino mercedem expectet, necesse est: sed iustum praeterea stipendium eidem singulis annis a Patrimonio Ecclesiastico, praesertim vero si de eo agatur, qui quotidianis operibus victum quaeritet, pro laborum ratione solvendum Parochus decernet.

CAPUT XVI.

De fratrum Privilegiis.

Ad eam vero, quae ad animas singulorum pertinet, quamque ingentem sane percepturi sunt utilitatem, illud etiam accedet, quod uti quis Fratrum rerum inopia laborabit, aliquo cum ipse, tum eius familia prae ceteris quoque subsidio levabitur; quod si in maximis versentur angustiis, eorum necessitates Episcopo Parochus exponet, ut aliqua pecuniae vi a Patrimonio Ecclesiastico eroganda melius, atque uberius iuventur.

Haec

Hae sunt, dilectissimi in Christo filii, quae nos huius Sodalitii fratribus servanda praecipimus. Utinam pio huic, sanctoque Instituto tam felix faustusque sit Deus Optimus Max., illudque caelestibus donis adaugeat, ut magis magisque incensis Christianae pietatis studio omnium nostrum animis, Divini charitatem Magistri imitemur. Ideo namque ille suam pro nobis animam posuit, ut nos doceret nostras pro fratribus ponere. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. (S. Ioan. Ep. I. Cap. III. 16.) „ Vos autem Dominus multiplicet (his enim concludam „ Pauli verbis) et abundare faciat charitatem vestram in „ invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis: „ ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante „ Deum, et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Iesu „ Christi cum omnibus sanctis eius. Amen (S. Paulus I. ad „ Thessalonicenses 3. 11. 13.).

Dat. Pistori ab Episcop. aedibus Nonis Septembris 1784.

SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

N. XLIV.

Episcopi ad Vicarios Foraneos de Sodalitiis Charitatis epistola.

Dum tibi aliqua Constitutionum in Charitatis Sodalitio servandarum exempla mitto, ut ea tui Vicariatus Parochis distribuas, meum esse arbitror eorum tuâ operâ exhortari studium, ne meae curae, ne religiosi Principis nostri consilia irrita prorsus fiant. Deletae omnino habeantur Sodalitates quaelibet, Congregationes, Centuriae etc. quarum loco unum instituitur sub charitatis titulo Sodalitium. Omnes itaque Parochos, quos veluti carissimos fratres colo ac diligo, oro atque obtestor, ut legere et accommodatis populorum captui verbis explicare, tum meam pastoralem Epistolam, tum laudatas Constitutiones velint, ita ut charitatis qua omnes inflammari maxime cupio, vim rationemque universi percipiant. Cum easdem REGIA CELSITUDO probare plenissime

sime dignata sit, rem prospere successuram confido, et tum de vero augendo bono Parochos, tum de eodem amplectendo sequendoque populos fore apprime sollicitos. Complura earumdem Constitutionum exempla mitto, ut iis e populo distribuantur, qui maiorem inde capere utilitatem possunt.

Cum vero debitus Iesu Christo cultus, unus licet ac necessarius, omnium maxime fortasse negligatur, quodvis aliud peculiare atque insolens festum, vetans et quamcumque revocans concessam antea facultatem, Parochos omnes oro atque exhortor, ut propositam et pro recens institutis in Urbe Prato Paroeciis praescriptam rationem amplectantur, iam non sine populorum solatio ac bono in complures Dioecesis Ecclesias invectam; eiusque rei gratia eos tibi, in quibus illa descripta legitur, quosque edendos curavi libellos mitto, ut eidem quam maxime potes insistas. Illud etiam mihi magnopere in votis est, ut sublatis ceterorum altarium mensis omnique si decens sit ornatu relicto, unum supersit in omnibus Ecclesiis altare, quemadmodum in multis Paroeciis factum videmus, iis maxime probantibus, qui iure meritoque profluentia inde incommoda et abusiones dolebant.

Sed haec omnia consilia adiuvandi faciliusque perficiendi causa, pastoralem Archiepiscopi Salisburgensis epistolam per me superiore anno editam iterum legatis oro, neque eximia vobis deerunt ad edocendum populum argumenta.

A Deo interim enixe postulans ut communes nostros prosperare labores velit, tui me reverenter esse profiteor

Prati prid. Id. Septembr. 1784.

Servum Fratremque amantissimum,
SCIPIO PISTORIENSIS et PRATENSIS EPISCOPUS.

N. XLV.

N. XLV.

Datae ab Episcopo ad omnes Dioecesis Parochos literae, quibus Regia de collectis per Charitatis Sodalitium pauperum subsidiis mandata significantur.

Magnus Etruriae Dux clementissimus noster Dominus, cui verum populorum bonum, maxime vero pauperum subsidium cordi est, suam mihi per haec nova mandata mentem significare his verbis dignatus est.

„ Ut Fidelium pietas in singulis Paroeciis Charitatis Sodalitio fidentius ea subsidia tradat, quae in pauperes erogare quisque velit, cum meritis optime hominibus aliquo pacto satis fieri aequissimum sit, Parochorum erit post cuiusque mensis exitum suae Ecclesiae foribus album affigere, in quo accurate descripta sint:

„ I. Subsidiorum summa, quae elapso iam mense tum ex pecunia tum ex aliis rebus per Charitatis Sodalitium collecta fuerint, ac praeterea quidquid in capsula ex subsidiis superiori mense comparatis est reliquum.

„ II. Quantum ex iisdem collectis subsidiis eo mense sit erogatum in pauperes tum quantum peçuniae datum, ad quotidianas necessitates, quantum ad vestes, lectos, pharmaca, aliasque res comparandas impensum; quae quidem omnia separatim in eodem albo notanda sunt.

„ III. Quot sint numero pauperes, in quos ea fuerint distributa subsidia, quin tamen quantum datum fuerit singulis explicare necesse sit; id enim fieri nequaquam posset.

„ IV. Quid demum in alios usus, praeter quam in pauperum subsidium collatum rectissime sit; quinam huiusmodi usus fuerint, quantum impensum in singulos.

„ Aliis tamen usibus, praeter quam sublevandis pauperibus, huiusmodi subsidiorum partem attribuere nequaquam licebit, tametsi de maiori Missarum numero festis diebus comparando aliisque necessitatibus commoditatibusque populi ageretur, nisi Regiam ea de re facultatem prius obtinuerint; quae facultas cessare debet, ubi primum

alia

alia ratione populi necessitati et commoditati, cuius unice gratiâ data fuerat, consultum sit. »

Quae mandata ut diligenter perficias dum te hortor ac moneo, ea etiam tibi commemorare iuvat, quae scriptis a me ad omnes Parochos litteris, et nominatim iis, quas XI. Kal. Februar. An. 1785. dedi, in eum finem alias admonui, ut quamplura colligerentur subsidia Paroeciae pauperibus aequissima charitatis lege distribuenda. Nec praetermittas modo hoc, modo illud Sodalitii Charitatis Constitutionum caput, quae in Dioeceseon Pistoriensis et Pratensis usum magno probante Duce editae typis sunt, iterum atque iterum coram populo legere; ea vero servare tibi potissimum curae sit, quae VIII. et IX. capite praescribuntur, subsidia distribuendo adhibitis in consilium iis, quorum est illa colligere, et omnia in librum accurate referendo in Paroeciae tabulario servandum, singulis rationibus, quolibet exacto mense, tua illorumque subscriptione firmatis.

Novum hoc Regiae humanitatis argumentum opportunam praebere tibi poterit occasionem de officio illo gravissimo populum admonendi quo divinum ipsi et Regiae eius familiae opem implorare universi tenentur, quo praeterea potiori iure ob praecipua collata ab illo in hanc Dioecesin beneficia grati animi ergo id praestare nos debeamus, ostendes.

Tui me reverenter esse profiteor

Prati V. Kal. Iun. 1786.

Servum Fratremque amantissimum,
SCIPIO PISTORIEN. et PRATENSIS EPISCOPUS.

N. XLVI.

N. XLVI.

Datae ad Vicarium Generalem ab Episcopo literae de Paroeciae pauperum subsidiis ec.

Cum novis mandatis fuerit iam constitutum, quibus finibus debeat contineri quaelibet ex octo illis Paroeciis, quae solae deinceps in urbe erunt; et iam universa sui ministerii munia Parochi exercere coeperint praescripta ratione, recentibus etiam Magni Ducis mandatis et per litteras V. Kalendas Aprilis datas acceptis consentanea; significare iisdem poteris concreditam deinceps ipsis fore spiritualem quoque Coenobiorum curam, quae in ipsorum Paroeciae finibus posita sunt, licet in parte illa versentur, quae Sacerdotum illorum adhuc procurationi subest, quorum delendae Paroeciae erunt. Igitur Moniales illas, tamquam ad sui gregis partem spectantes vel ipsi per se vel eorum Coadiutores semel adeant in quavis hebdomade, eo ad id constituto die, qui tum ipsis, tum Monialibus commodior erit. Eodemque tempore per accuratam Christianae doctrinae explanationem Religionis officia doceantur. Quam operam cum gratis praestare debeant, quidquid stipendii ordinariis, ut aiunt, et extraordinariis Poenitentiae Ministris et Concionatoribus Moniales solvebant, Paroeciae pauperibus attribui et in eorum capsula reponi poterit. Parochi ergo re cum Quaestoribus communicata, a Monialibus eorumque Procuratoribus petent, ut non illud stipendium tantum, sed quidquid in festis sacrisque rebus peragendis antea insumebatur, in eadem capsula pro pauperibus reponatur. Cum denique ea sit Monialium Regulariumque charitas, ut complures familias quotidiani victus reliquiis alant, tum hos, tum illas meo nomine ac deinde etiam per Parochos Quaestoresque adhorteris velim, ut huiusmodi reliquias iis Paroeciae familiis dispensent, quae per chartulam Parochi Quaestorumque subscriptione firmatam aliqua significentur. Quae sane consuetudo iam in Coenobia invecta tantae utilitatis est, ut et ordinatae charitatis vi, et Coenobiorum tranquillitatis studio mihi magnopere optandum sit eam tandem ubique recipi.

Oro interim te, ut meas hasce literas octo Urbis Parochis

chis nec non iis qui in praesens Confessiones Monialium audiunt, et Monialibus ipsis significes; atque ut ea omnia quae iisdem litteris continentur perfecta fuisse, certiorem me facias expectans, tui reverenter profiteri me posse gaudeo,

Illustriss. Domine,

Ab Episcopalibus Aedibus III. Kal. Maii 1785.

Addictissimum servum,
SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

Ad Canonicum Praepositum Bracciolinium)
Vicarium Generalem)

N. XLVII.

Datae ab Episcopo ad Vicarium Generalem litterae de praestandâ Paroeciis Urbis a Regularibus operâ.

Cum nihil magis expetam, quam ut diebus festis praesertim solemnioribus ad suam Paroeciam conveniat populus spirituale Corporis Christi, divinique verbi per conciones pabulum e sui legitimique Pastoris manibus atque ore percepturus; tuum erit universis huiusce Dioecesis et Civitatis Regularibus meum hoc studium significare, ut nempe a sacris in suis Ecclesiis publice peragendis maioris Hebdomadae et Paschatis tempore abstineant, ac potius una cum reliquo populo ad Parochialem Ecclesiam, in cuius finibus eorum positum Coenobium est, se conferant, ut celebrandis ibidem sacris adsint, et tum in iis, tum in Poenitentiae Sacramenti administratione (si qui eius rei facultatem habent) Parochos adiuvent. Magna mihi in tua urbanitate, docilique Regularium animo spes est ita rem fore, uti volo; cuius quidem rei dum aliquod a te argumentum expecto, tui me reverenter esse profiteor,

Illustriss. Domine,

Ab Episcop. Aedib. postrid. Id. Mart. 1785.

Addictissimum Servum,
SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

N. XLVIII.

Aliae Episcopo ad Vicarium Generalem de eodem argumento litterae.

Tanto populis ad pietatem incitamento atque utilitati fuit initum de Regularium Ecclesiis in maiori Hebdomade et solemni Paschatis die consilium, ut necessarium ducam eosdem ad eamdem omnibus etiam festis diebus integre vi praecepti servandis rationem retinendam hortari.

Tuum ergo sit, Illustriss. Domine, Regularibus omnibus significare eos mihi gratissimam rem facturos, si Dominicis aliisque solemnibus festis a suis aperiendis Ecclesiis abstineant sacrisque rebus interfuerint, quae in Parochiali Ecclesia peraguntur et tamquam veri dignique Parochorum adiutores populo inservierint.

Ne quid vero confuse ac perturbate fiat, quod ad Dioecesis Regulares pertinet, eorum uti opera Parochus ille poterit, in cuius Paroecia positum Coenobium est, etiam in aliquo eiusdem Paroeciae Sacello, si id animarum bono videbitur expedire. Quod vero ad Civitatis Regulares spectat, una cum Parochis octo Ecclesiarum, quae ex recentibus Magni Ducis mandatis superesse debent, rem ita constituas velim, ut Ecclesiis illis iisdem inserviant quarum finibus ex decreto Kal. Octobr. An. 1784. edito descriptis Coenobium continetur. Cum vero in aliquibus Paroeciis nullum Coenobium sit, in nonnullis autem praeter Coenobia idoneus adsit Ministrorum numerus, nonnullis Regularium suadere poteris, ut suam Ecclesiis illis, quae tali subsidio egent, operam praestare velint, quemadmodum superioribus diebus non sine ingenti meo solatio populique bono ab Augustinensibus S. Laurentii Regularibus ad D. Pauli factum est. Octo autem Urbis Parochi suae Paroeciae Moniales admoneant, ut diebus festis suum quaeque Templum aut Sacellum clausum teneant; ipse vero haec omnia diligenter cures perficienda.

Cumque in Monialium iuxta ac Regularium virorum Ecclesiis quaedam diebus festis haberentur supplicationes, sanctissimumque exponeretur Eucharistiae Sacramentum, illis-

illis octo Parochis mandabis, ut vespere post Catechismum illam rem sacram conficiant pro Urbis Prati Paroeciis a me praescriptam, et iam per universam Dioecesim et in complures huius etiam Civitatis Paroecias novis Constitutionibus invectam. Quidquid vero in huiusmodi sacras res a Religiosis virorum mulierumque familiis impendebatur, curabunt diligenter Parochi, ut in pauperum capsula reponatur, deinceps distribuendum ex Magni Ducis praescriptis, quae declarata iam sunt tum per mandatum Regium XII. Aug. 1783. datum, tum per Sodalitii Charitatis Constitutiones a REGIA CELSITUDINE probatas, et iam Non. Septemb. An. 1784. editas.

Quae meis hisce literis continentur perfecta fuisse aliquam a te significationem expecto, tuique me reverenter esse profiteor

Illustriss. Domine,

Ab Episcopalib. Aedibus VI. Id. April. 1785.

Addictissimum Servum,
SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS

IN-

INDEX

ACTORUM ET DECRETORUM

SYNODI DIOECESANAE

PISTORIENSIS

SCIPIONIS DE RICCIIS Episcopi Pistoriensis et Pratensis ad suos venerabiles Fratres universos in Sacerdotio Collegas et in Pastorali ministerio adiutores Epistola. pag. 1
—— *Ad Vicarios Foraneos Epistola.* 5
—— *Epistola Pastoralis ad Synodum Dioecesanam Pistoriensem indicendam.* 11

SESSIO I.

Acta Sessionis primae. 21
Decretum quo integra declarantur iura Patrum, et quisque vetatur discedere. 22
Ministri et Praefecti Synodi. 23
Missa in Celebratione Synodi. 28
Fidei Professio. 34
Servandae in Synodalibus conventibus leges. 37
Congregationes intermediae. 39
Pastores Synodi. 43
Oratio ad Synodum. 54

SESSIO II.

Acta Sessionis secundae. 72
Doctrinae capita in Synodo tractanda. 74
Epistola Encyclica data magno iubente Etruriae Duce ad omnes eius ditionis Episcopos. 80

SESSIO III.

Acta Sessionis tertiae. 113
Subscriptionum formula. 115
Doctrinae capita Patribus Synodi ad expendendum proposita. 117
Quot numero Patres huic Sessioni interfuerint. 119
Decretum de Fide et Ecclesia. 120
Articuli Cleri Gallicani editi in solemni Conventu anni 1682. 128
Decretum de Gratia et Praedestinatione, et de Ethicae christianae fundamentis. 130
Articuli Theologici, quos Theologica Facultas Almae Universitatis Lovaniensis Innocentio Papae XI. per suos Deputatos Anno 1677. transmisit ac obtulit iudicandos. 144
Duodecim Articuli exhibiti Benedicto XIII. 147
Quinam his decretis subscripserint, quinam subscribere recusaverint. 149

SESSIO IV.

Acta Sessionis quartae. 150
Congregatio expendendis paucorum dissentientium difficultatibus conſtituta. 151
Doctrinae capita Patribus ad expendendum proposita in futura Sessione. 153

Quot

Quot numero Patres quartae huic Seſsioni interfuerint. 156
Decretum de Sacramentis in genere. 157
Decretum de Baptiſmo. 163
Decretum de Confirmatione. 171
Decretum de Euchariſtia. 177
Quinam his decretis ſubſcripſerint, quinam ſubſcribere recuſaverint. 189

SESSIO V.

Acta Seſsionis quintae. 191
Quid actum in Congregatione expendendis paucorum diſſentientium difficultatibus deſtinata. 192
Decretum Epiſcopi de titulis et inſignibus Parochorum ceterorumque animarum Curatorum. 196
Capita rerum a Patribus Synodi tractandarum in Seſsione proxima. 198
Quot numero Patres quintae huic Seſsioni interfuerint. 199
Decretum de Poenitentia. 200
De Indulgentiis. 213
De Caſibus Reſervatis. 215
De Excommunicationibus. 216
De Suſpenſione. 218
Decretum de Extrema Unctione. 221
Decretum de Ordine. 227
Decretum de Matrimonio. 249
Quinam his decretis ſubſcripſerint, quinam ſubſcribere recuſaverint. 260

SESSIO VI.

Acta Seſsionis ſextae. 261

Summa eorum, quae peracta sunt in Congregatione elucidandis Patrum, qui non subscripserunt, difficultatibus deputata. 262
Quot numero Patres huic Sessioni interfuerint.
Decretum de Oratione. 268
De Oratione publica. 277
Decretum de Vita et honestate Clericorum. 288
Decretum de Collationibus Ecclesiasticis. 292
Libellus supplex REGIAE CELSITUDINI *offerendus.* 300
De Sponsalibus et Impedimentis Matrimonium dirimentibus. 302
Pro Iuramentorum reformatione. 308
Pro Festorum reformatione. 313
Pro novo Paroeciarum circuitu. 323
Pro Regularium reformatione. 325
Pro convocatione Concilii Nationalis. 334
Quinam his decretis subscripserint, quinam a subscribendo se abstinuerint. 339

SESSIO VII.

Acta Sessionis septimae. 340
Preces in absolvenda Synodo. 343
Decretum de Constitutionibus Synodalibus et earum auctoritate. 347
Concio habita ab Episcopo ad Patres in dimittenda Synodo. 349
Epistola Francisci Seratti Equitis ad Pistoriensem et Pratensem Episcopum magni Ducis iussu data, qua Dioecesanae Synodi postulatis rebusque ab ipsa REGIAE CELSITUDINI *demisse propositis rescribitur.* 353

IN-

INDEX
MONUMENTORUM
QUAE CONTINENTUR IN APPENDICE
SYNODI DIOECESANAE
PISTORIENSIS.

Edictum de Extravaganti: Ambitiosae. pag. 1

Epistola Secretarii Regii iuris de duplici conſiciendo Baptizatorum libro etc. 3

Episcopi Litterae ad omnes Vicarios Foraneos de Natalium testimoniis etc. 5

Decretum de Supplicatione sive Processione, quae in solemnitate Corporis Christi haberi solet. 5

Eiusdem ad omnes Dioecesis Parochos Litterae de Christi Corporis solemnitate. 7

Praescripta in singulis Urbis et Dioeceseos Paroeciis, dum sacrae res peraguntur, servanda. 8

Litaniae Iesu in SS Sacramenti adoratione dicendae, et quae in Synodo extant Italice redditae. 10

Pastorales Litterae in proponenda Magni Ducis encyclica epistola ad omnes Episcopos, ac Praetores de quaeritandae et emendicandae stipis consuetudine; tum in exhibenda Parochis Pastorali Archiepiscopi Salisburgensis Institutione. 17

In

De novis erigendis in Pratensi Urbe Paroeciis Pastorales Episcopi litterae. 73
Epistola ad omnes Vicarios Foraneos ab Episcopo data, cum Librum ad eos misit qui inscribitur: Trattato Storico-Dogmatico-Critico delle Indulgenze. 78
Epistola Secretarii Regii Iuris de casibus reservatis. 80
Episcopi de Casuum reservatione Litterae. 81
De Inquisitionis Tribunali in Etruria abolendo Edictum. 83
Magni Etruriae Ducis de Pistoriensis urbis Paroeciis Mandatum. 86
Magni Ducis Mandatum, quo multa praescribuntur de Paroeciis, quas conferendi ius habet Princeps etc. 96
Encyclica de Parochialibus privati iuris Patronatus Ecclesiis Epistola per eum data, qui a secretis Regii Iuris est. 99
Encyclica Epistola per eumdem Regii iuris Secretarium data, quae quoddam est Regii Mandati VI. Id. Quintil. an. 1781. *editi additamentum.* 100
Epistola a Regii Iuris Secretario data ad omnes Etruriae Episcopos de conferendis Canonicatibus. 101
Epistola a Secret. Regii Iuris data ad omnes Etruriae Episcopos de instituendo, eorum, qui Parochiales Eccleſias petunt, doctrinae experimento. 103
Encyclica Regii Iuris Secretarii Epistola de iis quae Spoglj, Vacanti, Quindennj *vulgo appellantur.* 104
Encyclica de Parochialibus liberae Collationis etc. Ecclesiis Epistola. 105

En-

Encyclica Epistola de privati iuris Patronatus Paroeciis congruenti stipendio carentibus. 108
Episcopi litterae in Encyclica proponenda de conferendis Beneficiis data prid. Id. Sextiles An. 1783. 109
Epistola a Secretario Regii Iuris data ad omnes Episcopos, qua necessario Ecclesiastici iuris Patronatus Paroeciarum stipendio consulitur. 111
Encyclica Regii Iuris Secretarii Epistola, qua nonnulla adiiciuntur litteris III. et postrid. Id. Quintil. ad omnes Episcopos datis an. 1782. 114
Regiae Celsitudinis Mandatum de conferendis Beneficiis etc. 115
Epistola a Secretario Regii Iuris ad omnes Episcopos data, qua amplificantur atque explicantur quae per Encyclicam Epistolam prid. Id. Augusti an. 1783. *datam praescripta sunt.* 117
Pastoralis Epistola de Religionis cognoscendae ratione et necessitate. 118
Regium de Urbis Prati Paroeciis Mandatum. 136
Pastorales litterae, dum in Cortonensis, Pientinae et Clusinae, Pistoriensis et Pratensis, Collensis Civitatum et Dioeceseon usum parvus in lucem ederetur Catechismus, ad Parochos et populum datae, 142
Datae ab Episcopo ad Foraneos Vicarios litterae de eorum Matrimoniis, qui Brephotrophiorum sive Hospitalium filii dicuntur. 147
Pistoriensis et Pratensis Episcopi de novo Cordis Iesu cultu Pastoralis Epistola. 148
Episcopi litterae, quibus libellum Via Crucis *inscriptum ad Dioecesis suae Parochos misit.* 154
Datae ab Episcopo ad Vicarios Foraneos litterae. 155
Pastorales Episcopi litterae de Subditorum officiis erga Principem. 156

Da.

Datae ab Episcopo litterae cum propria Dioeceseos Officii ad Parochos misit. 173
Datae ab Episcopo litterae ad Foraneos Vicarios de Novendiali ante Iesu Christi Domini Natalis diem supplicatione. 175
Datae ab Episcopo litterae ad Generalem Vicarium de Rogationum Supplicatione. 178
Epistola ad omnes Dioecesis Parochos data, cum ad eos misit librum qui inscribitur: Riflessioni morali sul nuovo Testamento. 179
Pastoralis Epistola, cum Episcopus ad suae Dioecesis Parochos Veteris Testamenti historiae morumque doctrinae Epitomen a Mesanguyo elaboratum misit. 180
Datae a Reg. Secretario litterae, quibus Charitatis Sodalitii Constitutiones approbantur. 183
Aliae litterae quibus Sodalitii Charitatis Constitutiones probantur. 184
Pastorales Episcopi litterae in edendis Sodalitii Charitatis Constitutionibus. 185
Episcopi ad Vicarios Foraneos de Sodalitiis Charitatis epistola. 201
Datae ab Episcopo ad omnes Dioecesis Parochos litterae, quibus Regia de collectis per Charitatis Sodalitium pauperum subsidiis mandata significantur 203
Datae ad Vicarium Generalem ab Episcopo litterae de Paroeciae pauperum subsidiis etc. 205
Datae ab Episcopo ad Vicarium Generalem litterae de praestanda Paroeciis Urbis a Regularibus opera. 206
Aliae Episcopi ad Vicarium Generalem de eodem argumento litterae. 207

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google